[illegible] $15

2 vols. in 1

I Washington

II Quakers

R

61

בב"ש הק"בה

ECCLESIA WALDENSIUM

ORTHODOXIÆ LUTHERANÆ TESTIS ET SOCIA.

IN THEATRUM PUBLICUM producta:

à

IOACHIMO HESTERBERG,
HAMBURGENSE.



ARGENTORATI,
Sumptibus & Typis JOSIÆ STÆDELII.

ANNO M. DC. LXVIII.

Præfatio ad Lectorem Candidum
D. JO. CONRADI DANNHAWERI, &c.



Filios huius seculi prudentiores esse Filiis lucis, cùm aliis in rebus vitæque humanæ institutis, tùm etiam in antiquitatis scrutinio, ac Annalium Ecclesiæ peritiâ, ita luculentum est, ut & dolendum. Ardent illi & quasi præ amore furunt in historiam Ecclesiasticam, omnia minima cum pulvisculo indagant, ut suæ, quam tuentur superstitioni, cum non possunt è S. literarum phosphoro, ab humana cabala lucem concilient: nos intereà è luce cœlite renati, ad lucem interminabilem initiati, hîc frigemus, in negociis superiorum seculorum gestis, hospites ac barbari, perq; omnem vitam infantes. אין זכרון לרישנים. Non est memoria priorum, Eccles. I, 11. Rari è Studiosis Theologiæ HESTERBERGII, similes hujus nostri JOACHIMI; qui postquam è Sacrarum literarum fontibus limpidissimis os sacrum proluisset, ut qui cupidissimè; in studio polemico ad bella sacra incaluisset, ut qui flagrantissimè; historiæ quoque Ecclesiasticæ sibi thesaurum comparavit, ut qui diligentissimè: meque monitore, suæ illius eruditionis specimen in præsens exhibet, passim rosos ungues ac inusitatam industriam redolens: ECCLESIAM WALDENSIUM à mendaciorum impudentiâ vindicando, inque apertum veritatis jubar inducendo, quantum quidem licuit fieri que potuit. Sicut enim vinum emimus non semper meracum, sed aquâ à vectoribus aut vindemiatoribus dilutum; ita historiam accipimus non semper, sed illorum vitiorum, ubi nata est, contagio fecatam. Quantæ fuerit operæ dumeta perrepere; quanti æstus eruderare, quod in ruta ac cæsa incidit; quantæ artis è totâ auctorum sylvâ, nemusculum condidisse tàm elegans; eorum est arbitrari, qui crisi, de his hujusmodi

jusmodi laboribus, accuratâ arbitrari possunt, & æquâ volunt. Simile Waldensium Ecclesiæ accidit, quod olim Archimedis sepulchro, de cujus indagine in L. V. Tusc. qq. mihi num. 64. Tullius ista prodidit: *Ex eadem urbe Syracusanorum, inquiens, homunculum è pulvere & radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem. Cujus ego quæstor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omninò negarent, septum undiq; & vestitum vepribus & dumetis indagavi sepulchrum; tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam; qui declarabant in summo sepulchro sphæram esse positam cum cylindro. Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agrigentinas magna frequentia sepulchrorum) animadverti columellam non multum è dumis eminentem: in qua inerat sphæræ figura & Cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem Principes mecum) dixit, me illud ipsum arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basin accessimus, apparebat Epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis ferè. Ita nobilissima Græciæ Civitas, quondam verò etiam doctissima, sui civis unius acutissimi, monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.* hæc Cicero. Parem sortem experiuntur quotquot in antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis eruendis sudant; expertus est etiam vir pietatis & eruditionis harmoniâ insigniter præcellens Dn. Hesterbergius, atque hoc defunctus labore cum Erasmo clamat, ἄλις δρυός! Illex, uti ominor, hortorque, futurus aliis sapientiæ divinæ alumnis, ut in simili studiorum cursu ad suam quisque metam anhelent, atque studia alia graviora, amœnissimo hoc historico exornare ac exhilarare certatim contendant.



I. N. D. N. I. C.

De Ecclesiâ WALDENSIUM.

WALDENSIUM Ecclesiam, tanquam in exiguâ tabula repræsentaturus, excusationem ordinis apud *Benev. Lectorem* facilius impetrare opinor, si alium, quàm hîc inveniet, optasset. Ne tamen, quem sequi constituerim, ignorare cogatur; ille breviter erit, ut ante omnia, de Ecclesiæ huius constitutione agatur, in quam considerationem ea, quæ de Nominibus & Auctoribus traduntur, simul confluent; præcipuè verò tùm universa Ecclesiæ facies ante oculos ponetur; tùm repræsentabuntur Hierarchiæ singulæ, unà cum plenô doctrinæ Systemate. Alteram partem propositi faciet bellum Sacrum, & hostium designatione & conflictus ipsius, ad extremum Victoria nobilitati descriptione proponendum. In tertiâ vindiciæ calumniarum maximè necessariæ locum sibi deposcent: quas quarto & ultimô locô Judicium & Συμφωνίας (si paucos nævos excepero) cum nostrâ Ecclesiâ demonstratio excipiet. Præivit, uti quivis vel me non monente observabit, Venerandus Argentinæ Præses DN. D. JO. CONR. DANNHAWERUS, Vir undequaque celeberrimus, quando in Christeidos actû primo (reliquos Typographorum difficultas, quò minus jam diu illis frueremur, hucusque detinuit) simili ferè methodô Theatra sua instruxit.

SECTIO I.

ARTICULUS I.

Varia Nomina.

§. I.


NOminum nobis jure prima cura, eaque non minùs necessaria, quàm diffusa, ac nescio, quot modis satis intricata. Ipsimet quæ nomina sibi sumserint, haud sanè constat: quin potius haud falli videar, si aliud, quàm CHRISTIANORUM aut FRATRUM, usurpasse negem. *In* Confessione Regi Uladislao exhibitâ, se *Fratres in CHRISTI nomine congregatos* appellant. vid. Fascic. rer. expet. p.m. 84. b. *Seniores unitatu Fratrum, qui vulgò Waldenses vocantur*, subscriptio erat literarum, quas Jo. Calvino scripsere. vid. Calv. Epistol. n. 294. p.m. 539. ita Waldensium nomen non ipsi ambivére; nam in eâdem Epistolâ ad Jo. Calv. datâ, se falsò Picardos vel Waldenses dici, disertis verbis protestantur; Et frustrà est Gretserus, cum præloq. ad Triad. Script. adversus Waldenses cap. IV. p.m. 22. ex hoc mendacii arguit. Nimirum vulgaris appellatio ea esse potest, quam dedignere, & falso tibi tribui dicas, cum interim non abnuas, in vulgus invaluisse.

Christiani & Fratres.

Pateren.

In hunc ordinem videtur nomen PATARENORUM (alii Paterinos, vid. diplom. Innocentii ap. Bzov. Tom XIII. ad annum 1198. Panos, Patarinos, Patrinos ita plerumque Fr. Reinerus Sachonus: item Patinos, ita Hotting. Hist. Eccl. Part. 3. Sect. 5. p. 280. scribunt) ad scribendum. Author Fridericus II. Imp. qui in quâdam constitutione suâ: *In exemplum Martyrum, qui pro fide Catholica Martyrium subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos paßioni. Huiusmodi verò miseri Patareni.* &c. alleg. Grezer. in Proleg. ad script. contr. Wald. c. 3. p. m. 289. confer ad eand. Melch. Goldasti Rational. Constit. Imp. p. m. 77. seq. ubi erroris arguit Jo. Andreæ in c. excommunicamus 15. de Hæret. ab Authore nomen hoc derivari statuentem. Apud Jacob. Usser. de Christ. Ecclesiæ succ. & statu cap. 8. p. 270. alia etymologia Anton. August. ep. Illerd. *quod Patrem tantum colerent.* In quod odium adductum sit, ut pro eôdem Hæretici & Patareni nomen habere-

tur,

tur. vid. apud Grezer. præloq. ad Triad. script. contr. Waldenses c. 2. pag. 6. Nomen idem Phil. Marnix S. Aldegondius explicat Passagers; nescio an aliud agens, an dialecto aliquâ linguæ Gallicæ adjutus. HUMILIUM seu HUMILIATORUM & pauperum de Luduno (quamvis differant) nomen ab ipsismet usurpatum, Author est Urspergens. apud Grez. proleg. d. c. 5. p. 291. Dubito tamen, an pro Waldensibus habere possim Humiliatos, cum ab Innocentio Pontif. Sectæ suæ dicantur petiisse confirmationem nec obtinuisse. Cl. Boxhorn. in Hist. univers. p. 709. An statuamus eos potiùs cum ordine Humiliatorum conferendos, qui circ. ann. 1180. cœpit, à Lucio obtinuit confirmationem, à Pio V. abolitus est ann. 1571. de quo vid. Thuan. L. 50. p. m. 968. conf. Jacob. Usser. de Eccl. Chr. succ. c. 8. p. 306. Unum adhuc restare videtur nomen, quo invicem se ab aliis discreverint. NOTI. die Kunden / oppositi aliis omnibus (quos peregrinos die Frembden nominabant) s. quod ipsi tantum suis innotescerent, s. *quasi Deus non alios, sed tantum ipsos noscat, quoad comprobationem*, quæ interpretatio est in indice error. quem edidit Grezer. p. 341. Apud eundem in modo examinis p. 342. F. zu den Leuten / die sich nennen die Kunden Waldisser. Humilitati Noti.

§. 2. Eorum verò nominum, quibus ab Adversariis, vel in vitâ quoque communi discernendi causa appellati sunt, multa est differentia; cum Authoribus quædam originem debeant, quædam ubi docuere locis; nonnulla aliis accidentibus, quin & hostium malignitati. Distinctio.

§. 3. WALDENSIUM (Valdesios legit primus ex iis, qui mentionem nominis faciunt Gualt. Mapens. apud Jacob. Usser. de Christi Eccl. statu c. 8. p. 259.) nomen in primô ordine, & fortè primum. In etymo nominis & ratione non consentiunt. Verior ea, quæ etiam communior, sententia videtur: Petrum Waldum s. Waldensem (cui nomen ab oppido Waldis in Marchia Galliæ. B. Gerhard. Confess. Cath. Part. 1. Epist. Dedic. a. 2.) Lugdun. civem, de quô plura Artic. 2. §. 2. seq. dicenda restant, sectatoribus nomen reliquisse. Ea ratio probata plerisque. Alii tamen Waldenses ab Alpium anfractibus, in quos sese jam pridem receperunt, deducunt. Ita Beza in πολυανδρίῳ κενοταφίῳ fortissimorum Waldensium. De hoc Cl. Hottingerus, Vir de illis optimè meritus, Histor. Eccl. Part. 3. c. 12. Sect. V. p. m. 276. *Non infeliciter, modo natales novæ illius vocis, quæ purè germanica est, ostendi possent ap. Veteres Lugdunenses.* Nescio tamen annon aliquam Waldenses.

ety-

etymologiæ huic authoritatem præstare possit Ebrard. Bethun. Antihæres. c. 15. p. 178. dicens: *Quidam, qui Vallenses se appellant eò, quod in valle lacrymarum maneant*: Crediderim allusisse quosdam è Pastoribus ipsorum ad hanc denominationem, quod in vallibus habitarent plurimi. Thuano à loco, quem habitabant, L. 27. p. m. 1216. & seqq. communiter Convallenses dicuntur, tanquam convallium incolæ. Cæteroqui Valdum Valdensibus nomen dedisse fatetur ipse l. 6. p. m. 288.

§. 4. Sufficere illa possent, nisi otium hoc inviderent Monachi etiam hîc ἀλληγορίζοντες. Bernh. Abb. font. calid. contr. Waldenses præfat. p. 3. edit. à supr. cit. Grezero. *Novi hæretici quidam, præsagio futurorum sortiti vocabulum, dicti sunt Valdenses, nimirum à Valle densa, eò, quod profundis & densis errorum tenebris involvantur.* Abundet sensu suo, quantum volet Bernardus, & persuadeat, quibus volupe est.

Arnoldistæ, Speronistæ, & similia.

§. 5. Plura unius rationis nomina coniungit Thuanus lib. 6. p. 289. *Post Arnoldum, Speronus & Iosephus successere, atq; ab iis Arnoldistæ, Speronistæ* (aliàs Esporonistæ, dialecti varietate, & Spetronistæ ap. Bern. Luzemb. & quosd. Codd. Const. Frid. Imp. ap. Goldast. ration. Const. Imper. p. 77. seq.) *Iosepini* (in c. 15. excommunicamus, legit Toleppinos Goldastus in ration. Const. Imp. l. c.) *Gregorio IX. dicuntur.* Res clara: de ipsis autem viris illis suo loco Artic. 11. §. 17. 18. Adde *Henricianos* etiam ab Henrico, Waldi discipulo & in Occitania præcone. Lollardistas Doctore eorum in Angliâ Lollardo. Hotting. Hist. Eccl. c. 12. p. 280. dicitur is Reinh. Lollardus, Franciscanus prius fuisse: deinde religionis causa, cum in Angliâ diu docuisset, combustus Coloniæ. Nomen tamen non intra Angliam hæsit, sed in Livoniâ quoque usurpatum scribit Belvedr. in turri contr. Damascen. p. 77. Aliter ex Walsing. Bzov. T. 15. ad ann. 1381. n. 16. ubi Wiclefi Sectarios Lollardos dictos ait: *ab occasione dictionis, quam aliquis prædicatorum, de inimico homine, in agro boni patrisfamilias lollium seminante, super Evangelium Matth. 13. dixit, & Wiclefitas lollio comparavit*: ita deinde Thom. Arundelius. repetit Bzov. idem ad ann. 1387. n. 10. ubi novum nomen *Capuciatorum* s. *Pileatorum* adiungit: quod S. S. Eucharistiæ pro more vetusto in editiori templi loco collocatæ caput non aperirent.

Petrobrusiani.

§. 6. PETROBRVSIANOS à Petro de Bruis dictos hinc inde invenies: an satis accuratè? cum ille ipso Valdo antiquior, nisi quod in doctrinæ aliq. partibus convenére. An dicemus Brusii discipulos;

los;

los, cum Waldus jam plures haberet, se quoque adjunxisse, ut in unam coalescerent Ecclesiam, nominibus invicem communicatis. Sed ab huius quoque Petri discipulo Henrico, (non altero tantum Waldi sequace, de quo §. præcedenti) Henricianos appellatos, volunt.

WICLEFITARUM à Wiclefo descendentium ac HUSSITARUM à Jo. Husso, ad quem per Wiclefum Waldensium veritas pervenit, denominatorum voces satis notæ: nec iis immoramur. Wiclefitæ.

§. 7. Inter ea, quæ à locis imposita sunt, celeberrimum est PAUPERUM de LUGDUNO: *quod urbe illa* (ubi Valdus prima docuerat) *ejecti jacturam fecerint, omnium ferè bonorum suorum.* Hotting. Hist. Eccl. l. c. p. m. 279. Invidiosiùs proponit Grezer. prolegom. ad Lucam Tudens. c. 2. p. 289. A. *Pauperes de Lugduno appellati, quod vitam inopem professi, dominio & possessione omnium facultatum sese abdicare solerent.* sed frustrà illa dicit, cum ex sequentibus manifestum sit futurum, persecutione in calamitatem hanc incidisse. Domi verò suæ Grezerus habet, quos rideat, quibus voluntaria paupertatis professio meritum est. Aliquantò sincerius agit Fr. Reinerus. c. 5. p. 300. A. *quod maxima multitudo pauperum ad eum confluxit, quos ipse docuit habere voluntariam* (prout voluntaria etiam crux est, quam non renitenti cervice impositam â cœlesti Parte suscipimus) *paupertatem, & esse imitatores Christi & Apostolorum*, conf. infrà art. 2. §. 10. & S. 3. §. 29. Ipsi quando de paupertate sua gloriantur, persecutionis meminerunt apud Reiner. c. 5. p. 300. C. *quod ipsi sint verè Pauperes spiritu, & persecutionem patiantur propter justitiam & fidem.* Pauperes de Lugduno.

§. 8. Coincidit nomen LEONISTARUM s. Leoninorum. Lugdunum, nobis Leon; Gallis nunc Lyon. Unde Leonini iidem, qui Lugdunenses. Præcipuè cum Orthographia eorum sæculorum id ferat, uti disertè Godfrid. Monach. Colon. inter script. Germ. Freheri in annal. circa ann. 1237. scriptis, vocat Leonam super fluvium Saonam (Ararim ita nunc dicunt.) Leonistæ.

§. 9. Circa hoc nomen non pauci magni viri aliter sentiunt. Thuan. l. 6. p. m 289. 290 dicit: *Itidem Leonini rursus appellati sunt ab illo Leone* (III. Imp. de quo antea) *qui nihilominus justi ac prudentis principis, à Zonara ipso, qui eum hæreticæ pravitatis accusat, elogium meruit. Is Theodoro Monacho suadente simulacra & imagines omnes è templo sustulerat, tanquam impietatis pabulum, & ignaræ plebis decipulas, quæ ad DEI offensionem pertinent, ob idq; Iconomachus vocatus est.* Hisce Gene-

vensis edit. ista ἀπαραλλακτικῶς addit : *Quanquam alij potius à Leone quodam, Gallo, ei sectæ addicto, Leoninos dictos existimant, quod longius ab his locis & temporibus Leonis Imp. illius memoria abesset.* Verùm quis Author eius Leonis Galli meminit ? stat pro sententia Thuani priori etiam Cl. Micrælius Synt. Hist. Eccl. l. 3. quæst. X. p. m. 26. Nobil. Goldastus in rationali ad 1. Tom. Constit. Imper. F. p. 77. contra eam disputat. in uno tamen ὁμόψηφος, autorem nomen dedisse : Eum Grezerus prolegom. ad Luc. Tudens. c. 2. p. 289. exagitat. Ostendit tamen in dubio sibi fuisse, an à Leone Isaureo, an à Leone Armenio derivaret nomen.

Albigenses. §. 10. Nec Lugdunum tantùm, ubi primum innotuerant, nomen dedit, sed in Septimaniâ quoque Albia Augusta, seu Helviorum ad Tarnum fl. loco fertili sita & incolis habitata probis (ut ipse Jo. Marian. in præfat. ad Luc. Tudens. p. 230. B.) cum eò, pulsi Lugdunensi tractu se recepissent, & brevi tempore invaluissent, *Albigeorũ*, (ut Thuanus) seu ALBIGENSIUM nomen accepére. Sunt qui Albienses vel Albingenses scribere malunt. Nomen hoc est, quo concilio Lateranensi sub Alexandro III. appellati, & inter cætera eminet. Sed & Albicos lego in supr. cit. præfat. Mar. ad Luc. Tudens. p. 230. C.

Tholosani. §. 11. Affinia reliqua nomina sunt. Dicuntur THOLOSANI ab urbe Tholosa Linguadocii principe. Ita passim in Jure Canonico audiunt. BAGNOLENSES, credo ab urbe Baignols etiam in Occitaniâ, non procul Avenione sita. Est coniectura Grezeri prolegom. ad scr. contr. Waldenses, c. 4. p. 291. Reinerus contr. Wald. c. 6. p. 302. b. G. in Lombardia ponit: fortè ex Occitaniâ eò profecti.

Bagnocenses.

Picardi. §. 12. PICARDORUM quoque nomen notum ; ratio non æquè : sunt, qui Picardiam Galliæ Provinciam nomen fecisse existiment ; cum Valdus è Picardia in Bohemiam venerit ; unde in Bohemia potissimum usurpatum nomen meminit. Thuan. l. 6. p. 239. Ita & Marnixius S. Aldegund. Tabl. de differenc. Relig. P. c. 12. p. 149. Alii Begardum quendam memorant , & Sectatores eius Begardos, quos vulgus posteà corrupto vobabulo Picardos dixerit. vid. Petri Wesenbecii Orat. de Waldensib. habita Jenæ circa ann. 1585. Joach. Camerarius (referente Boxhornio in Hist. univers. p. 708.) ista : *Esse Picardorum nomen gentile patet : & nominatam Picardiam à novis incolis, eam partem Galliæ, in quâ civitates olim fuere Ambianorum & Atrebatum. Etsi à nescio quo Pegardo transfugâ nomen illud dictum , quidam & alia quædam magis nugatoria, falsò prodiderint.* Suum judicium Cl. Boxhornius

Hornius interponit in Hist Univ. p. m. 711. marg. *Mihi non est dubium, quin id nomen fluxerit ab obsoleto vocabulo Piccard, quod Textorem significat.* conf. infr. §. 17. Conjectura Grezeri longius abire videtur, quam Prolegom. ad Scr. contra Wald. c. 7. p. 295. proponit. *Forsan probabilius conjecturaveris, si dicas, sic appellatos à Picario, i.e. Poculo domestico* (von dem Becher) *in quo Waldenses suam Eucharistiam conficiebant. Teste Reinero c. 5. p. 301. & post Reinerum, Illyrico.*

§. 13. BOHEMORUM quoque nomen celebre est, atque adeò quasi gentis vitium hæresis esset, in proverbium abivit. In Bohemis etiam *Pragenses* speciatim appellabantur. Alii *Taboritæ* à Tabore (Germ. ein Schantz apud Zachar. Theob. Hussiten-Krieg P. 2. c. 12. p. 91. ut aliorum etymologiæ risum mereantur) munitione, quam Zisca Dux 21. Frebruar. 1418. (vel ut alii 1419.) exstruxerat, nuncupatione deducta. Taboritis tum *συνώνυμον Zelotæ,* oppositi *Calixtinis,* qui sola calicis concessione reliquam Pontificiam doctrinam tolerare volebant. TRANSMONTANOS quoque dictos Autor est Jo. Paulus Perrinus Lugdunensis apud Hottinger. Hist. Eccl. P. 3. Sect. V. p. m. 279. per synecdochen à parte eorum, qui Alpes superaverant. Adde ap. Grezer. d. Proleg. c. 4. ex Constit. Friderici Imp. *Comistas* ab urbe Como: *Concordenses* seu *Cozerenses.* *Carracenses* (à Carrazo Lombardiæ oppido) *Barrinos* (à Barro monte, an à Barrian in agro Gremensi) *Hæreticos de aquâ nigrâ* (in Lombard. transpadan.) *Runcarios* à Roncalia, ut putat Grezer. Si tamen hi omnes pro *συνωνύμοις* Waldensium habendi sunt. *Bulgarorum* nomen à Bulgaria derivat Grezer. d. Proleg. c. 3. q. 290. fac. b. cum aliàs *Burgares* & Bugares scribi ostendisset: rejectâ item sua priori sententia, quod in Lombardia Alpina sint ii, qui Burgari, Germ. Bulgenreiter dicantur. Nomen etiam extra Provinciam usitatum, uti Caroli IV. edictum contra Bulgaros allegat Theob. Hussiten Krieg P. 1. c. 2. p. 6.

Bohemi & alia.

§. 14. Magna reliquorum nominum farrago hinc inde apparet, quæ variis de causis; aliquando quibus incertum, orta sunt. LES BONS HOMMES *sive bonos homines vulgariter ob sinceritatem & simplicitatem dictos memorat* Marnix. Aldeg. Tabl. de diff. Rel. P. 3. c. 12. p. 159. & præter hunc Baron. Annal. ad ann. 1176. S. 3. Celebre præterea illud est: cum INSABBATHÆ vel Insabbatharii (Wolf. Lect. Memor. ad ann. 1169. legit Insabbathati : est ubi Insabbati invenias) appellabantur. Rationem assignant, quod unum Domini diem

Boni homines.

Insabbathæ

sacrum

ſacrum eſſe vellent, Perrinus ap. Hotting. Hiſt. Eccl. P. 3. Sect. V. p. m. 280. quod in Sabbatho judaizarent. Goldaſt. Ration. Conſt. Imper. p. 77. ſeq. quod nullum feſtum colerent. Maſſonius ap. Jac. Uſſerium de Chriſt. Eccl. c. 8. p. 254.

§. 15. Idem nomen eſſe videtur, quod Ebrard. l. Antihæreſ. c. 15. p. 178. in inſcriptione *Xabatati* : in textu autem *Xabatenſes* ſcribit: Xabatenſes à Xabata potius, quàm Chriſtiani à Chriſto ſe volunt appellari. Grezer. in præloq. c. 2. p. 7. ſeq. Addit: *Chabata ſive chapata eſſe calceos, quos & ſotulares, Ebrardus & alij nominant, quaſi Socculare à Socco, quos calceos nonnulli, velut cæteris perfectiores notâ, neſcio quâ inſigniebant, jamque otioſi ab omni opere manuali ſedulò abſtinebant.* Addit cuiusdam è Patribus coniecturam iſtam. *Videtur error eſſe Librariorum non callentium ſive priſcum ſive præſens Idioma Hiſpanicum, quod etiamnum calceos vulgò vocat capatos & calceum capato; tametſi pro litera ç familiari Hiſpanis & Gallis, rudiores Hiſpani ſubſtituant aut ſcribant Zapato, Zapatos. Galli porro (& Hiſpani nonnulli) fuerunt magna ex parte Albigenſes ſive Waldenſes illi, quos Capatenſes, Capatatos (ſic ſcribendum videtur) appellabant.* conf. eund. Grez. in Proleg. ad Scr. contr. Wald. c. 4. p. 291. ex Prateolo. Liberum eſto cuivis judicium: Licet hæc ultima ſententia ante omnes alias videatur amplectenda, quam etiam ſequitur Gualt. Tabl. Chronogr. de ſtatu Chriſtian. c. 16. p. m. 694. b. & Jac. Uſſerius de Chriſt. Eccl. ſtatu c. 8. p. 254. quod ipſorum Doctores (hos enim eo nomine dictos colligit) ſignum quoddam in ſotularis ſuperiori parte geſtaverint.

Gazari. §. 16. GAZARORUM nomenclatura non minus nobilis. Thuanus l. c. 6. p. 289. *à Leone III. Imp. ut putant Gazaro dicto, qui omnium maximè à Romanis Pontificib. ſacrilegiorum & pravæ doctrinæ inſimulatus eſt: quanquam aliis in libris Cathari dicantur, quibus reſpondent, qui hodiè in Anglia puriorem doctrinam* (Puritani) *præ ſe ferunt.* Grezer. Proleg. ad ſcript. contr. Waldenſ. c. 2. p. 289. C. *Gazari ſunt Cathari. Cave autem cùm Catharos nomino, antiquos illos Catharos, Novatianos intelligas.* Mox *Cathari ergò* (allata erat Ecberti in ſerm. contra Cath. authoritas) *Germanicum nomen non græcum, hoc quidem loco, & eſt illud ipſum, quod uſurpamus Katar, & ut alij craſſius Kazar T. mutato in Z. more Germanorum ſolemni, ut vides in his Catus,* Katz. *Platea* Platz. *Hos ergò ex Waldenſium ſecta Germani vocabant Kather ſive Kazar, ex quò Latinè ſcribentes Catharos procuderunt. Indè nata*

vox

vox Cazari seu Kazari. Nec est qui nesciat C.& G. sibi facilè succedere, ut Caspar & Gaspar. Catus Italis Gato, Cathri Gatter. Serar. l. 1. Mog. c. 6. De Catharorum nomine Rocha. De Concilio Lateranensi ap. Boxhorn. Hist. univ. p. 707. *Cathari dicti sunt, quasi puri propter munditiam & puritatem, quam arrogantissimè & falsò quidem ostentabant, dicentes se sine peccato esse, contra illud* 1. Ioh. 1. 8. *Hinc omittebant illud Orationis Dominicæ: dimitte nobis debita nostra.*

§. 17. Quæ suprà Grezerus ex Eberto loc. c. allegavit ita sonant: *Quos Germania nostra Catharos; Flandria* PIPHLES; *Gallia Texerant* (fortè tisserands) *ab usu texendi appellat.* Quæ ultima verba duo nova nobis nomina suppeditant: Et alterum, Cl. Boxhornii conjecturam §. 12. firmat. Aliud, quo in Flandriâ dicti sint, nomen suppeditat Hottingerus (ex Perrino) Hist. Eccl. Part 3. Sect. 5. p. 279: TVRLVPINI, *i. e. inter lupos habitantes, vel luporum ad instar inhospita tesqua incolentes.* Turrelupini hinc inde reperias. SISCIDENSES aliqui dicuntur apud Reinerum c. 6. p. 301. G. qui cum Waldensib. concordent, nisi quod recipiant Eucharistiæ Sacramentum; quasi Waldenses non idem agnovissent. In Delfinatu per μυκληρισμὸν *Chaingardos* dictos memorat Perrinus ap. Hotting. d. loc. Adde nomen PASSAGENORVM (mavult Passaginos Goldast. ration. ad Constit. Imp. *Tom.* 1. *p.* 77. *seq.* Passagerios Luzenburgensis reprehendens) quod viatorum instar incertis ubique sedibus jactarentur. Gallis *pauvres passagers* Hottingerus d. loc. *Ortlibenses & Ordibarios* appellat Reinerus c. 6. p. 301. 302. Qui illi & unde dicti, ambigo.

Cathari. Piphles. Turlupini. Passageni.

§. 18. Et superiorum multa contumeliæ solius causa data; nec tamen omnia adhuc sunt. CIRCVMCISI *in Constit. Imp. Friderici* nuncupati, non quod circumciderentur, sed quod in Sabbatho judaizarent. Gold. Ration. Const. Imp. Tom. 1. p. 77. seq. Lucas Tudens. *l. 3. c. 3. p. m.* 278. de aliquibus Hæreticis refert, *quod quidam excogitata malitia circumcidantur, & sub specie Iudæorum quasi gratia disputandi ad Christianos veniant, &c.* de VValdensib. hoc nullus disertè prodit, nec vel probabile est. GYNICORVM nomen Thuanus l. 6. p. 200. notavit. *Sicarios* dixere in Provincia, quod Perrinus Crumenisecas vertit. *ap. Hotting. d. l.* PVBLICANOS appellatos refert ex Guilh. Neubrig. & Raduph. Cogeshal. monach. Boxhorn. hist. univers. p. 717. haud dubiè, quod publicani ut detestandum fugiendumque hominum genus in Evangelicis literis notarentur. Ant. Augustini Episcop. Ilerd. *ap. Iac. Vsserium de Christ. Eccl. statu c. 8. p. 271. fortè quod*

Circumcisi. Gynici. Publicani.

Evangelicum Publicanum imitari se dicerent; coniectura est. Ipse Usserius p.273. à Flandr. Piphles (de quo supr. § 17.) *Popelicanorum* & inde Publicanorum nomen derivatum putat. Ab Hæreticis antiquis FRATRICELLOS vocarunt; an quod fraterni inter se amoris vinculo vivebant? Ita idem Perrinus ap. Hotting. all. lo. Nec à *Manichæorum, Arianorum, Cataphrygum* (vid. Grezer. præloq. ad Triad. Script. c.3. p.20.) *Adamitarum, Gnosticorum, Apostolicorum novorum*, aliorumq; veterum damnatorum Hæreticorum appellationibus temperatum, ne sc. quidquam omitteretur: Ea ars est adversariis solennis, quo illi publicum odium pariter ac ludibrium incurrerent.

Judicium. § 19. Cum verò tot nomina recensuerimus, erunt, qui diversos innui saltem per aliqua dicant: an omnia eisdem convenire asseremus? Sanè errare, qui Gazaros cum Patarenis confundunt, Goldast Ration. Const. Imper. p.77. seq. credit, errorem hunc etiam Concil. Lateran. Autoribus attribuens. Paterinos & Patarenos: Passagenios & Passagenos distinguit M. Flacius in Cat. Test. veritat. ita alibi Catharos à Waldensibus omnibus: hi item ab Albigeis discernuntur. Res non carere videtur difficultate, in eâ scriptorum penuria, cumprimis eorum, qui citra calumniam ad nos res eas transmisissent. Sanè si vel minima pars earum accusationum vera esset, quibus premunt Catharos & Albigenses, non possent pro VValdensium germanis haberi, de quorum orthodoxia ex hisce, quæ Disputatio hoc docebit, constare potest. Verùm nihil adhuc prohibere videtur, quin vel simpliciter respuamus, quæ hostes de illis atrociora quàm de VValdensibus prodidere, sicut infrà Sect. 3. his quoque multas abstergemus calumnias; vel dicamus non defuisse iisdem locis malè de religione sentientes, quos fraudulenter confuderint cum nostris adversarii; ut ita invidiam promptius facerent. Confer infrà Sect.2. art.1. §.3. Quantum autem universim delationibus hostium in hoc articulo tribuendum sit, vel ex illo Petri Monachi *ap. Bzov. Tom. 13. ad an. 1199. n. 34. p. 61.* patere potest, quando post multa, quibus in Albigenses invectus erat, *Valdenses secum* (cum Pontiff.) *in multis rebus convenire* dicit; *discordare autem in quatuor præcipuè rebus, in quibus error eorum consistat: in portando sandalia in pedibus, ad modum Apostolorum: in eô quod dicunt, nulli esse permissum jurare aut occidere: in eo etiam quod affirmant, quemcunq; ex ipsis in necessitate, dummodo portet sandalia, sine facultate aut approbatione Episcopi, & sine sacris ordinibus posse consecrare corpus Christi.* Aliud dicet, qui articulum

quartum

quartum leget. Intereà vanitas illorum hominum patere potest, qui cum putidè mentiantur, memores esse non noverunt: Et sanè si in hoc omnis error VValdensium, unde tantæ Pontificum iræ & tyrannis tàm copioso sanguine necdum satiata?

ARTICULUS II.

Doctores & propagatores.

§. 1.

ANtequam ipsam Ecclesiæ faciem ante oculos ponamus, per quos plantata est, explicandum erit. P. Waldus.

§. 2. Meritò in his, primus PETRVS VVALDVS, cuius historiam initio veluti in compendio descriptam ex Thuano huc liceat conferre. L. 6. p. m. 288. 289. *Petrus Waldus locuples civis Lugdunensis Ann.* CHRISTI 1170. *Waldensibus nomen dedit. Is, ut monumentis testatum reliquit Vidus Perpinianus, præsul Lodevensis,* (edit. Genev. legit Elnensis) *qui quæsitoris in Waldenses munus exercuit, domo ac bonis relictis totum se Evangelicæ professioni devoverat, & Prophetarum atq; Apostolorum scripta populari lingua vertenda curaverat, antiquorum etiam Patrum aliquot testimoniis adiunctis, quibus in animum defixis, ingenio suo & sensu fretus, prædicationis munus sibi sumserat, perq; plateas & vicos Evangelium plebi interpretabatur.*

§. 3. Sed omnia ista accuratius inquirenda. De Nomine initio disputant: *Petrum* nonnulli, alii *Iohannem* vocant. Hotting. *Hist. Eccl. S. 5. p.* 277. Prior sententia pluribus probatur. Pilichdorf. contr. hær. VVald. *c.* 1. *p.* 313. Johannem de Lugduno inter primos eius socios collocat, ut confundendi non videantur. An verò hic Johannes idem sit cum Johanne de Lugduno, de quo Reiner. *c.* 6. *p.* 304. 305. ut Catharorum Episcopo plur. nefanda recenset; vix expedietur.

§. 4. VVALDO nomen fuisse à patria VValdis in Marchia Galliæ *vid. ap.* B. D. Gerhard. *Confess. Cathol. P.* 1. *ep. Dedic. a.* 2. Pilichdorf. contr. hær. VVald. *c.* 1. *p.* 313. civit. VValden in finibus Franciæ appellat: Grezer. *ex Cod. Tegern.* addit in marg. *versus Alamanniam*: Vicum prisco nomine, postea mutato dictum esse Vaudram, autor est Jo. Masson. *ap.* Jac. Usser. *de Christ. Eccl. succ. c* 8. *p.* 259. Waldi ortus.

§. 5. Lugdunensem civem, professione mercatorem vo- Waldus.

cant

cant omnes: an literatus fuerit, non æquè conveniunt. Vidimus à Thuano assertum, quod per alios populari linguâ verti curaverit libros sacros: Disertè Idiotam appellat Alf. de Castro *l. 2. advers. hær. p. 78.* Verumenimverò aliquantulum literatum fatetur ipse Reinerus *c. 5. p. 300. A.* & quod N.T. textum docuerit vulgariter. Ex Guid. Perpin. *in flor. Chronic. & vetustißim. membr. in Catal. Test. verit.* eruditionem eius demonstrat Aldegond. *Tabl. de differ. P. 3. c. 12. p. 149.* Id fortè adversariis largiri liceat, à scholasticis subtilitatibus & acumine inutili commendari non potuisse, quando isto tempore ea sola eruditio visa. Expresse MSc. Chronic. Argent. ipsi translationem ascribit.

quis & qualis.

Tempus.

§. 6. In TEMPORE etiam non consensus omnimodus, Aldeg. *d. l. ann.* 1152. indicat. Ex Thuan. 1170. habuimus. Aliis 1160. Hottingero Auth. Cat. Test. veritatis. Æqualem nonnulli faciunt Berengario. Alii Innocentio II. de quibus vid. Usser. de Eccl. Christ. succ. *c. 8. p. 261.*

à Romanis discedendi occasio generalis.

§. 7. OCCASIONEM instituti si quæramus, multa se offerunt: ad *Communem* non tantum cleri corruptissimi eo seculo vita flagitiosa pertinet; Sed & imprimis ignorantia Reiner. *c. 3. p. 299.* ita. *Quinta causa est insufficientia doctrinæ quorundam, qui prædicant quandoque frivola, quandoq; falsa. Ita etiam ex* Jacob. de Riberia Reg. Secret. & in causa VValdens. inquisit. Jo. VVolf. Lect. memorab. ad ann. 1140. p. 382. *Eo tempore nullo aut parvo in pretio fuere, qui Sacerdotes se, Episcopos & Ministros Ecclesiæ dici volebant. Hi enim omnes rerum omnium ignari cum penè essent, facilè fuit eruditione & doctrinâ præcellentissimis primas in populo partes sibi vendicare: Ex quibus cum præ cæteris Waldenses acutius de religione disputarent, admittebantur sæpè à Sacerdotibus publicè docendi causa, non quod eorum sententiæ sibi probarentur, sed quod Waldensibus ingenio pares non essent.* Habemus insignem delineationem corrupti seculi, Proverb. XXIX. vers. 18. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.* Itaque facilè cogitare licet, cum neque essent qui populum docere possent, dissipationem horrendam fuisse: Ut adeo mirum non sit, hominem, in quo vel scintilla adhuc in DEUM pietatis superfuerit, zelo accensum, & suæ & aliorum saluti rectius voluisse consultum. Eandem ferè causam Bohemi postea, *in Confeß. ad reg. Vladisl. p. 85.* allegant, sui à Romanis discessus.

§. 8.

§. 8. Imprimis verò novorum dogmatum in Ecclesiam introductio, in quibus Transsubstantiatio eminet tyrannica. Aucta enim paulatim Pontificis potestate, eousque protendebatur, ut articulorum fidei condendorum potestatem sumeret.

§. 9. Occasionem *specialem* referunt; quod cum Lugduni aliquot optimates quodam loco congregati (prout in Italia & Galliâ æstate fieri solet) varios sermones sererent, quidam ex iis, spectantibus reliquis, mortuus corruerit. Itaq; Valdus ex illis cumprimis perterritus & iræ div. ac fragilitatis hum. admonitus, haud dubiè impellente eum div. spiritu, qui talibus quoque practicis legis concionibus, opus conversionis promovere solet, de emendandâ vitâ & verâ pietate maiori zelo in posterum colenda cœpit cogitare. vid. Reiner. *c. 5. p.* 300. *Cat. Test. verit. lib.* 15. *p. m.* 1499. Pilichdorf. contra hæres. Wald. *c.* 1. *p.* 313. diversum recenset: quod quæ Christus *Matth.* 19. *v.* 21. adolescenti dixit, audiverit, aut legerit. Sed ab aliis describitur. Francisci factum homini in mente fuisse videtur. Occasio specialis.

§. 10. Initium factum, ut statim magnum thesaurum pauperibus erogaret. Reiner. *c. 5. p.* 300. Omnibus se abdicasse bonis è singulari sanctimoniæ opinione, non probari potest, & infr. Sect. III. *n.* 29. refellemus. *conf. Artic.* 1. §. 7. Hoc modo plures ad eum pauperes ventitabant, quibus præter eleemosynam longè sublimius donum doctrinæ Christianæ largiebatur; cum enim Scripturas S. in linguam vernaculam convertisset (vid. §. 5.) additis Patrum quorundam dictis, eorum sensum exponebat. Initium domesticis fecit Catechista diligentissimus; inde alios quoque instituens, à quibus de religione consultus fuit: Nec improbabile est, si dicamus amicitiâ, cognatione & affinitate potentem in urbe, necessarios suos primum habuisse discipulos. Progressus.

§. 11. Hinc adversarii insurgunt, usurpatæ prædicationis insimulantes, cumque vocatus non esset, neque missus, non quo decebat ostio in ovile ingressum criminantes. Sed frustra sunt: In eo Ecclesiæ statu & necessitate, quæ tum fuit, vocationem charitatis sufficere posse, nostri dudum ostenderunt. vid. B. D. Nicol. Hun. in demonstr. minist. Lutherani: B. D. Gerh. LL. CC. de Minist. Eccl. §. 74. D. Frider. Balduin. in Comm. ad Loc. 1. Cor. XIV. Excell. D. Præsid. in f. Hodosoph. Phænom. 11. p. 111. Summum item Theol. Hamb. D. Jo. Müllerum in Luth. def. defensione c. 2.

§. 12. Non latebat Ecclesiasticos, quod sibi periculum pararetur; itaque ubi primum veritatis solem illustrius exoriri videbant, tumultuabantur. Qui erroris convincere ex Scripturâ S. aut ex eâdem rectius illum se informare velle promitteret, nullus erat, sola Episcopali authoritate interdicebatur, quo minus domi suæ traderet capita religionis Christianæ: Masculè se interdicto huic opposuit, his potissimum fundamentis; esse cuivis Christiano mandatum, ut scrutaretur Scripturas, & fugeret Idololatriam, omnes præterea Christianos esse Sacerdotes. vid. Cat. Test. verit lib. 15.

§. 13. Itaque non tantum morem non gessit edicto, verum occasionem etiam arripuit subinde diligentiùs inquirendi: quin & ea tyrañis prælatorum, veritatem in herba suffocare tentantium, in causa fuit, ut maiori studio de Sacerdotibus, eorumque religione & instituto non cogitaret solùm, verùm loqueretur paulò liberiùs. Crescente insuper certamine semper novos errores & superstitiones detexit ac reprehendit, ut eò demum se divinæ gratiæ lumine, cum aliud initio egisset, videret perductum, quò devenire nec intenderat. Planè geminum B. Luthero exemplum, qui primò controversiarum ortu de Papa impugnando ne somniaverat quidem.

§. 14. Adfuit autem Valdi laboribus uberrima div. benedictio, ut turmatim accurrerent, qui ab ipso desiderarent informari: Et quid mirum eos esuriisse verbum, quibus jam longo tempore de doctrinâ Biblica vix innotuerat quidquam: nam sacrifici, ipso adversariorum testimonio, eo tempore (vid. §. 7.) indoctissimi, homines in templis boatibus sonoris & missarum murmurationibus esse contentos jubebant: Christi merito alienis meritis obruto, aut incognito propè, cum suggestus omnes, si ullis, non aliis, quam de Sanctis eorumque miraculis, concionibus resonarent. Unde vel ad primam famam solatifluæ doctrinæ, quæque non iisdem ineptiis simplicitati hominum illuderet, undique affluxere, aliunde etiam, nec omnes ex infima plebe, qui è fontibus Israëlis salutares haustus quærebant.

Vbi primũ docuerit. §. 15. *Quatuor aut quinque annos Lugduni mansisse & docuisse Valdus creditur. Vt taceam illud* (verba sunt Autoris Cat. test. veritat. lib. 15. p. m. 1499.) *quod hâc in re præcipuum est, quod DEVS suis ante persecutionem discendi spatium ac commoditatem benignè solet concedere: Quo tempore procul dubiò VValdus & discipulos aliquot egregios ita docuit ac erudiit, ut ei collegæ esse, officioque docendi rectè fungi possent, & doctrinam suam constituit.*

§. 16.

§. 16. Cum demum ante Lateranense concilium, Synodo ab Ecclesiasticis damnati essent, hinc inde dilabi necesse fuit, quod Lugduno expellerentur. Cum verò eo jam immineret tempestas, in Alpinas valles misisse dicuntur, in quibus ὁμοψήφους sibi in religione invenerunt, qui jam ab antiquo eandem doctrina coluerant. Apud hos facilè invenere rerum afflictarum asylum, quin brevi tempore omnis ferè regio idem sensit ipsocum. conf. Chronic. VValdens. c. 1. p. 5. Dispersio.

§. 17. De dispersione hac prima Marnix. Aldeg. Tabl. de differ. de la relig. P. 3. p. 149. si nostro idiomate adscribere placet, quæ is Gallicè sonat.: *Postquam interdicto, quo ab Arch episcopo Lugdun: cui nomen D. Iohannes de belles Majons* (seu Maisons) *prohibebantur amplius contra receptam in Ecclesiam Romanam doctrinam prædicare*; *respondentes, DEO, quam hominibus plus obediendum esse: excommunicati sunt, expulsi & stylo Spiritus S.* (Apoc. XI. 8. & 9.) *victi per bestiam, quæ ex abysso ascenderat*: *&c.* Pergit enarrare, quod altera parte in Picardiam perrexerint: unde in Flandriam, in Germaniam, potissimum Alsatiam, & omnem Rheni tractum, ulterius in Austriam ac Bohemiam fugere. Nec minus in Lombardiam ventum, unde in Siciliam ac Neapolit. regnum, atque extremam provinciam Calabriam se diffudere. Altera verò parte in Provinciam & Linguadocium intulere doctrinam incrementis non contemnendis: Nimirum non semel persecutio Ecclesiæ felix fuit, Act. 8. v. 4. Et eleganter concludit Aldegondius: *Ita ut hinc VValdenses, illinc dicti Albigenses* (*fide consanguinei & fratres*) *fuerint tanquam duæ oleæ seu lampades duæ, de quibus S. Iohannes dicit, quarum pinguedo & lumen per omnes terræ fines se disperserit*: Sed de locis ubi viguerit, suo loco solliciti erimus. Nunc Doctores & Propagatores quærimus.

§. 18. Eorum qui in *Linguadocio* docuere nomina satis celebria. Arnoldus qui diverso à VValdo itinere in Septimaniam descendit, & Albiæ Augustæ, seu Helviorum olim dictæ hæsit. Thuanus lib. 6. p. m. 289. Arnoldum Hott. appellat Perrinus ap. Hotting. hist. Eccl. cap. 12. p. 280. Unde Arnoldistarum nomen. An dicemus eum Arnoldum fuisse, qui Legione sepultus pro Martyre à suis cultus fuerit, ap. Bzov. Tom. 13. ann. 1199. n 35. p. 62. Si est; in Hispaniam etiam transivisse oportet, & Evangelium ibi docuisse. An Arnoldus alius? qui Coloniæ, ann. 1163. cum sociis Marsilio & Theodorico post habitam cum Ecberto Monacho Schönaug. di- Asseclæ Arnold.

sputatio-

ſputationem, Coloniæ combuſtus eſt. Plura vide ap. Jac. Uſſer. de Chriſt. Eccl. Succeſſ. & ſtatu cap. 8. p. m. 303. coll. cum p. 291. Alius hic Arnoldus, ab Arnoldo Brixiano, qui antea an. 1145. (Grezero referente 1155.) à Pontificiis in crucem actus eſt, non tàm quod Petri Abailar hæreſin ſequeretur, quàm quod in faſtum Sacerdotum invectus poteſtatem Papæ ſecularem negavit, ſuâque doctrina effecit, ut Romani libertatem eligendi Magiſtratus repeterent, quam Pontifices ſibi rapuerant: Qua ratione à Baron. T. 12. ann. 1142. n. 3. p. 307. Politicorum hæreticorum Patriarcha & Princeps audit. vid. Micræl. Syntagm. hiſt. Eccl. lib. 3. quæſt. 30. p. 192. Oſiandr. hiſt. Eccl. Epit. Cent. 12. lib. 2. c. 7. p. m. 266. Et ab hoc Arnoldiſtæ denominati Sectatores ap. Baron. d. T. 12. ann. 1144. p. 319. n. 4. & 5. diſtincti à noſtris. Grezerus tamen in Proleg. ad Script. adv. VVald. c. 4. p. 291. C. ab illo, noſtros etiam derivare vult, poſt Goldaſt. rat. Conſt. Imp. p. 77. tanquam nullus alius inter VValdenſes celebris fuiſſet Arnoldus. Eodem loco in Arnoldum hunc invehitur graviſſimè, nec ferre poteſt quod Gerhohus Reicherſperg. lib. 1. inveſt. Antichr. ſupplicium Arnoldi approbare dubitet, licet doctrinam pravam credat: Et ſanè curia Romana noluit videri ipſorum ſcientia aut conſenſu rem factam: quam tamen Gerhohus fortiter convincit. Quæ Grezerus excipit, fruſtra ſunt: Neque enim ſeditionis reus eſt, qui illis negat, quæ DEUS ipſe negat, temporalem poteſtatem.

§. 19. Adhuc alius Arn. de Villa novâ natione Hiſp. ſæculo ſequenti prodiit, vir in omni artium genere peritiſſimus, qui & ipſe contra Pontif. animoſè multa dixit & ſcripſit, ſectatoresque ſuos novos Arnoldiſtas poſt ſe reliquit. Micræl. d. l. Itaque in aliis diverſi, in hoc tamen Arnoldi hi conveniunt, quod Romanæ Eccleſiæ & vitia & arrogatam ὑπεροχὴν damnarent.

Speronus. Ioſephus. alii.

§. 20. Poſt Arnoldum, SPERONUS & JOSEPHUS ſucceſſere. Thuan. l. 6. p. 289. Dienſium præconem hunc facit Perrinus ap. Hotting. d. l. ille in Septimania vixiſſe videtur; In qua etiam Henricus VVald. diſcipulus docuit. Hotting. d. l. Præterea cuiusdam NICOLAI DE LUGDUNO, qui ſibi diſcipulos elegerit, quos per orbem terrarum circumduceret, meminit Pilichdorf. fragm. contr. paup. de Lugd. p. 335. ubi neque Grezerus invenit, quis ille ſit. Plura nobis nomina Jac. de Riberia ſervavit, ex quo Jo. VVolf. l. mem. ad ann. 1160. p. 382. Qui hæretici exiſtimabantur, eorum præcipua nomina hæc ſunt: PONTICUS JORDANUS, ARN. AURISANUS (Averſanus ap. Marnix.

OTHO-

OTHONUS. (an ille Arnd. Hott. supra allegatus?) PHILIP. CASLIENSIS, (f. Casteux. ut ap. Marnix. ex hist. Tholos.) BENED. THERMUS, qui omnes interfuere disputationi Montrealensi, de qua suo loco.

§. 21. Imprimis verò in Angliâ celebris Jo. WICLEFUS. Is theologus Oxoniensis in Collegio Martonensi, acutissimi ingenii vir, & in Philosophiâ ac Theologiâ scholastica inter principes. (vid. Leland. in eius vitâ) circa 1381. cum antea ei quædam in philosophicis non probarentur, ut communiter statuebant, cumprimis contra Transsubstantiationem docere cœpit. Multa VValdensibus debuit, qui jam pridem in Anglia fuerant. Alfonsus à Castr. l.3. adv. hæres. p. 101. cognationem haud invitus largitur: & *Waldenses Wiclefistarum parentes appellat: quem hic, ut alibi semper* (ait) *Waldenses imitantur VViclefistæ* l.6. p.196.b. *VViclefistæ in verba VValdensium jurasse videntur magis quam verba* CHRISTI *aut Ecclesiæ.* Bzov. T.15. ad ann. 1430. n. 87. dicit: *Omnium præcedentium Hæreticorum impia dogmata exsuscitasse, præsertim verò VValdensium & Richardi cuiusdam Armachani.* Idem T.15. anno 1381. n.15. primum, quem erroneum docuerit, articulum attribuit: *Post consecrationem à Sacerdote in Missa factam remanere ibidem verum panem & vinum, ut prius fuere: Christumque ibidem ut ubique quanquam specialius assistere &c.* Nihil in hoc, quod non ambabus amplectarere manibus. Ad plura postea religionis capita devenit, & in iis, quæ Pontificii corruperant, restituit. Adfuit etiam benedictio cœlica, ut brevi tempore plures ad agnitionem veritatis converteret, & in iis doctissimos viros. Scriptis autem & prædicatione opus urgebat. Nec huius libertatem magis ferre potuere Pontificii, quam aliorum. Itaq; quæ contra eum VVilh. Cortnayus, Archiepiscop. Cantuar. susceperit, vel apud ipsum Bzov. ad ann. 1382. n. 12. seq. legere licet: demum vitâ functus est 1395.

Io. Wiclefus.

§. 22. Inter eos, qui ipso cum faciebant, ex Bzovio illos notamus: Rob. Rugg. Oxon. Acad. Cancell. Th. Brighvvell. Nicol. Hereford. Phil. Ripington. Theologiæ Professores, Jo. Asheton. art. Mag. quorum tres posteriores ilicò dictus Archiepiscopus excommunicavit: alius Jo. Aston, Mag. art. Londini causam promovit. Quidam VVilhelmus Leceſtriam prædicatione sua juvit. Inter omnes verò celebris HERFORDIUS fuit, cui post Wiclefum adhæsisse eos Bzovius memorat ad ann. 1387. Ubi etiam istos jungit, ex quibus aliqui illustriore loco nati & positi, Guil. Nevilium, Ludovic. Cliffordium, Jo. Careve, Rich. Styrium, Th. Latimerum, P. Patethalium, Argent.

Jo.Montagu. Alius VVilh. THORPII circa ann.1407.mentio fit, qui cum Archiepiscopus Cantuar. Thom. Arundelius longam disputationem habuerat, eo demum eventu, ut in carcerem conjectus vitam amitteret. vid. Crocii Martyr. l. 2. B.D.Papp.Hist.Eccl p m.567. Ita & Jo. Purveus ex illius discipulis fuit, qui circa ann. 1390. Commentarium in Apocalypsin edidit. VVolf.Lect. memor. ad an.1421. Contra hunc Richardus Laningham. lib. X. de Sacramento Eucharistiæ scripsit, referente Bzovio ad añ.1415.n.58. Fuere & plures alii, unde nomine totius Academiæ Oxoniensis scriptam pro VViclefo apologiam & testimonium attulere Pragam studiosi duo, quod videre licet ap. Zach. Theob. Hussiten Kr. P.1.c.3.p.8. Sed & Bononiensis Academia non rectè VViclefi libros ab Archiepiscopo Pragensi combustos esse judicavit. Theob.c.6.p.19. Quinimò duo studiosi Angli Jac. Baccalaureus Theolog. & Conrad. Canterburiensis fuere, qui novam quasi doctrinæ suæ coloniam Bohemiæ rursus inferebant añ.1404. dum in Academia Pragensi literis operam dantes, & argumentis, & allato (cujus mentionem feci) Oxoniens. Academiæ Jo. VViclefi, testimonio eius causam agerent, ac ita Hussi conatib⁹ multum prodessent: ad extremum ob plures turbas cedere Pragâ coacti.

ᵃ Io. Huss. §. 23. VViclefo suppar & eius doctrinâ multum adjutus est, Jo. Hussus; qui in pago Bohemiæ Hussinez natus; artium Magister & Baccal. Theologiæ erat: Intercesserat ei amicitia cum Petro de Dressena & Jo. Misnensi VValdens. discipulis; refer. Æn. Sylv. Hic an. 1401. (Bzov. 1402. indicat.) Pragæ in ordinariis suis, quas in templo Bethlehem appellato habebat, concionibus, quædam recepta tùm papatus dogmata reprehendere cœpit.

ᵃ Hieronymus Prag. §. 24 Ab indulgentiis & Pontificis potestate initium factum, neque tamen universam doctrinam tum rejicere cogitabat, quam sequebatur, quin potius studiosum Pragensem, qui attulerat ex Anglia VViclefi librum, instanter hortatus erat, ut librũ quovis modo aboleret, ne aliis fieret seductionis causa; (quod & B. Luthero contigit) ubi primum aurora cœpit affulgere, subinde lux maior ipsi orta est. Bzov. T.15. ad añ.1402. n.8. libro VViclefi Alythiæ causam adscribit. Juvabant institutum Hussi M. HIERONYMUS PRAGENSIS (qui in scholis ut Hussus in templo, palmam ap. auditores obtinebat) & M. JACOBELLUS von der Mieß/ & Angli præterea duo, quorum præced. §. 22. mentio facta. Ecclesiastici autem qui fabam in se cudi viderent, omnia movebant contra illos; donec ad rogum duxere Constantiæ.

Vide

Vide eos, qui eius historiam pluribus sunt persecuti, hinc inde; imprimis etiam Zach. Theob. Hussiten Krieg P. 1. Nobis brevioribus esse convenit.

§. 25. Idem uti studium, sic fatum Hieronymi Pragensis fuit, cuius iterum vita & res ap. alios quærenda sunt. Arsit Constantiæ anno 1416.

§. 26. Neque tamen duobus his sublatis alii non supererant, JACOBELLUS DE MIZA Anno 1415. cum jam uterque discessissent, Pragæ publicè disputationem intimavit de communione sub utraque; eandem concione docens. Quem imitatus Sigismundus Rsepanski ad S. Martini parochus; Demum uterque iis, qui communicare volebant, ita porrexit. Post utriusque mortem M. Jo. Cardinalis Rector Acad. & decretal. Baccalaureus, ex discipulis Hussi ferè primarius, literis per totam Bohemiam evulgatis, sub nomine salutaris consilii de usu calicis, omnes ad hunc hortabatur: Quod consilium etiam universaliter postea ab Hussitis receptum. Aliorum discipulorum Hussi coacervat nomina Bzov. T. 15. ad ann. 1417. n. 15. nescio an satis emendatè: Jessinizius, Chrystan, Sutyna, Zdenko, Gytzin, Petrus Spitzka, VVencesl. Coranda, Idislaus, Markolt. E proceribus & nobilitate hisce se multi adiunxere, ut demum à R. VVenceslao aliquot templa, & calicis usum obtinerent. Ex quo B. Hussi & Hieronymi memoriam, 6. d. Jul. quotannis celebrandam decrevere. Iac. de Miza & alii.

§. 27. In reliquâ Germaniâ multos fuisse, suprà vidimus, & inferius pluribus monstrabitur. Nomina non æque conservata. Ap. Argentinenses unus celebrior erat Jo. Sacerdos, quem è supremis suis Antistitibus, quorum tres fatebantur, unum dixere: hominem fuisse non indoctum, ex illis patet, quæ relatio Argent. Chron. MS. adfert. Als man Johannes in aller jhrer Namen examinirt, zoge er die göttlich gschrifft alſo an / daß die newe Prediger Münch nicht kunten antworten; allein zeigten jhm die Mönche gewalt und befehl / daß niemand gebühre aus Göttl. gschrifft ohn erlaubnuß des Pabsts zu reden / der allen gewalt von Christo und S. Peter habe / dem auch kein Engel im Himmel hab einzureden / will geschweigen ein mensch / der ein Ketzer ist: wolten sie jhren Glauben beweisen / solten sie solches mit einem glüenden eysen thun: Johannes sagt / man soll GOtt nicht versuchen / weil man sein wort hell hätte / obs wahr oder nit wahr were. Dann GOtt triege nicht wie ein mensch: daruff wurd er verspott: sagten / er förcht / er verbrenn die Ioannes Sac. Arg.

Finger; Johannes sagt/ich habe Gottes Wort/ darauff begehr ich nit die Finger/ sondern minen lib lassen verbrennen. Insigne ὀρθοδοξίας & constantiæ argumentum. Quod (inquam) excerptum unà cum reliquis, quæ hinc indè vernaculo sermone in disp. citamus. è MSc. Chronico Argent. quod in illustriss. Reip. Archivo servatur, Nob. & Amplifs. Dn. Jo. Casp. Berneggerus Reip. à Regestorum cura comunicavit.

ⁿ Barthol. Carcass. §. 28. In Bulgaria celebris BARTHOLOMÆVS CARCASSONENSIS, quem Antipapam ab ipsis creatum Bzov. dicit. T. 13. ann. 1222. n. 11. & Grezer. proleg. ad Scr. Antivvald. c. 3. p. 290. E. ubi ex Matth. Paris. literæ C. Portuens. Episcop. & legat. Apostol. ad Archiep. Rhotomagens. in quibus verba: *Ille homo perditus, qui extollitur super omne quod colitur, aut quod dicitur DEVS, jam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcham, quem hæretici Albigenses Papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenses, & ad eorum consulta respondet, etenim de Carcassona oriundus, vices illius Antipapæ gerens Barthol. hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem & locum concessit in villa, quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tholosanas. Iste Bartholomæus in literarum suarum undiq; discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio intitulat in h. m. Bartholomæus servus servorum, sanctæ fidei tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat Episcopos, & Ecclesias perfidè ordinare contendit.* Si, quæ invidiosè proponuntur ab hoste, demamus, dicere poterimus Ephorum supremum illarum Ecclesiarum fuisse, qui tum ad suas Ecclesias destinatos ministros ordinaverit, alios quoque aliò miserit, si qua ratione Evangelium ap. vicinos fructus faceret. Nihil hic improbum aut iis convitiis dignum.

§. 29. Et hi quidem ac alii nominatim innotuére, quot verò tenebris sepulta nomina jacent, digniora quæ in omnium ore versarentur, quàm τυγχένων Scholasticorum è primis? Sed in eâ sæculorum ingratitudine sufficit in beato vitæ libro consignata extare, in æternitate ipsis cum cognoscenda. Scripti utique ab illis libri non pauci, per quos ad posteritatem vivere poterant, si temporum injuria ac inimicorum omni ope hoc agentium, ne quid veritatis superesset, crudelitas ab innoxiis sibi temperasset chartis. Verum ardeat necesse est Romæ, quod illi palpum facere recusat; & diligentissima vestigatione perquisiti hi ad rogos libri, ut rariores perniciem effugerent.

ARTI-

ARTICULUS III.

Ecclesiæ Repræsentatio.

§. 1. Ipsam jam ante oculos nobis ponemus ECCLESIÆ FACIEM: sequentes τὰ ἴχνη Venerandi nostri Dn. Præceptoris, quæ in Phænom. IV. Christeid. Act. 1. Opt. Dramat. th. 1. in schemate Ecclesiæ primæ præivit.

§. 2. AMPLITUDINEM EXTERNAM & REGIONES, quæ plerumque invitæ, nutricatum tamen, Ecclesiæ huic dederunt, si quæramus; Initio LUGDUNUM ex superiori relatione occurrit. Inde Septimania seu Linguadocium: Huiusq; provinciæ quàm plurimæ, Albiensis, Ruthena, Cadurcensis, Aginnensis, & Tolosana diæcesis iis plenissimæ. vid. Jac. de Riberia coll. de urbe Tholos. Ecclesias quàm plurimas ante desolationem fuisse oportet: memorantur loca, quæ violentiam hostilem propterea experiri necesse habuere, *Biterre, Carcassone, Minervæ castrum, Albia, Vaurum, Coureum, Rapistagium, Galliacum, F. Marcelli, F. Antonij, Caussacum, Mœssacum, arx Pennensis &c.* vid. Thuan. l. 6. p. 290. Altera parte in Alpibus invenere locum, harumq; valles propemodum totas obtinuere. Ex Thuano valles Lusernensis, Perusia, Angrunia & Sanmartiniana sub Duc. Sab. imperio: sub Galliarum Rege Fraxinea, Pratigelana, seu Chelonia, Loisina, de qua §. 32. ex Thuan. l. 27. p. 1217. In Provincia, Ecclesia MERINDOLIENSIS & CAPRARIENSIS, cum harum vicis, primariæ fuere, tristi illâ persecutione 1550. celeberrimæ, de quâ Thuan. l. 6. p. 288. seq. AVENIONENSIS quoque eorum Ecclesia nomen habuit. Unde Ludov. VIII. urbem illam malè mulctavit. Thuan. d. l. p. 291. Aliæ item partes Galliæ his non caruere. *Nam in ipsa urbe regni Principe Lutetia* 14. *in quibus plerique Sacerdotes huius erroris* (ita Thuanus d. loc. p. 290.) *convicti & flammis pariter cremati sunt. In Picardiâ numerus magnus.* Marnixius S. Alegondius Tabl. de diff. Relig. c. 12. p. 290. ita memorat: *Ad doctrinam suam non ex plebe modo infinitos converterunt, sed magnam etiam nobilitatis partem: adeo, ut post aliquod tempus Rex Philippus Augustus ab Episcopis & aliis Ecclesiasticis contra eos instigatus &c. ut trecentas nobilium domos, quæ in partibus eorum erant, & aliqua oppida murata destruxerit. In Flandria etiam, ut extirparet, magnum eorum numerum combusserit.* Ne verò plures provincias singillatim recensére cogamur: Sufficiant hæc

Eccl. amplitudo per Galliam.

Bzov.annal.T.13.ad ann.1198.n.6. *Ferè omnem Galliam pestis VValdensium infecerat, & plures alias hæreticorum sectas secum invexerat, adeò ut puritas Catholicæ fidei & splendor doctrinæ orthodoxæ vix ac ne vix quidem emineret: Hæreticis cuncta inficientibus & insuper vastantibus.*

» Angliam. §. 3. Sed ex GALLIA in ANGLIAM pergendum. In qua non pauci eorum fuére: si Guid.Perpin.non fallit 1174. Anglia VValdenses jam habuit. Addit suffragium VVilh.Neubr.rer.Anglic.l.2.c.13. Sub VViclefo magis magisq; invaluit eorum doctrina, & in regnum multum dilatata est.

» Hispaniam. §. 4. Nec HISPANIA simpliciter exclusit; eæ præcipuè provinciæ, quæ Gallis conterminæ: Arragonia plures habuit: Ut ipse Rex etiam illis faveret, Tolosat. Comitem, auxilio juvans. *Quinimo virum magni nominis eruditioneq; clarum* allegat Jo. Mariana in præfat. ad Luc.Tud. p 230.C. *qui colluviem Albigensium ex Hispania in Galliam erupisse asserit.* Quod tamen non probatur ipsi & suspicionem è patrocinio Petri Regis venisse auguratur. In Navarræ s. parte s. contermina regione (controversiam nostram non facimus.) Bearnia extitisse, ex eo apparebit, quód Bzov. ad ann. 1270. disertè memoret: Arn.Castelbonium vice comitem & Ermesendam Fuxensem, comitis eius filiam, Rogerii Bernhardi Fuxensis Comitis aviam, hæreseos damnatos, ossaque exhumata & combusta.

» Italiam. §. 5. ITALIA non infelicior, quæ in Lombardia inprimis numerum insignem aluit. Adeò ut ex aliis provinciis Mediolanum tanquam in Academiam suos mitterent, veram Christi Theologiam edocendos. Vicissim ex Bohemia & Alsatia pecuniaria subsidia Doctoribus mittere solebant, conf.Lect.memorab.VVolff.ad ann.1160. p.381. ex Nauclero. Post Lombardiam & Alpinos, quorum antea mentio facta, Apulia & Calabria illis abundavit: quin per totum ferè regnum Neapolitanum in Siciliam usque protensi fuere, quod ex Constit. Imp.Frid.II.patet.

§. 6. De Dulcinistis, qui circa ann.1307.ad NOVARIAM Lombardiæ fuerunt, à quodam Dulcino appellatis, vix erit quod certum dicere possimus. Si enim vera quæ ex Blondo & Antonino Grezerus præloq. ad Triad. contra VValdens. c. 2. p. 10. seq. prodit, injuria fit VValdensibus, si cum illis misceantur. Fortè tamen eandem sortem ab hostibus Dulcinus cum suis passi sunt, quam & VValdenses calumniis obruti, nisi quod illis quàm his plura innocentiæ testimonia superfuere.

§. 7.

§. 7. Illyricum quoque, de quo sibi gratularetur, habebat: nam s. è Lombardia s. Austria vicina eò multi se effuderunt. Ab illis Antipapam in finibus Bulgarorum Croatiæ & Dalmatiæ constitutum esse audivimus ex Matth, Paris. ad an. 1223, ap. Grezer. proleg. in script. contr. Waldens. c. 3. 290. E. Eadem ex antiquis inquisitorum libris probat Matth. Flacius Catal. Test. Verit. p. m. 1505. D. quinimò ex Illyrico in GRÆCIAM, THRACIAM & CONSTANTINOPOLIN usque progressi sunt, ac Ecclesias suas instituerunt: aliquot ibi Martyrum coronis insigniti, ap. Antonin. P. 3. Tit. 21. conf. Chron. VVald. cap. 4, pag. 32. "varia loca ad Constantinop. usque.

§. 8. Ex Sarmaticis regionibus POLONIA eos novit, & contra eos circa annum 1330. inquisitio instituta extat. vid. VVolf. Lect. memorab. ad ann. 1160. p. 381. In LIVONIAM quoque & extremam Septentrionem transmigrarunt, ap. Thuan. lib. 27. p. m. 1213. "Poloniam "Livoniam.

§. 9. Apud Germanos RHENANA & ALSATICA Ecclesia ac in hac ARGENTINENSIS ex primis ferè fuere, quo è Belgio se Waldus cum sociis contulerat. Mutius in sua Germ. Hist. dicit circa annum 1212. multos in Alsatia fuisse nobiles & ignobiles, qui ea dogmata profiterentur, quæ vidimus esse VValdensium ap. VVolffium Lect. memorab. d. l. Ab illis etiam Mediolanensi eleemosynas missas modo vidimus MScr. Chron. Argent. aliquoties citatum. Als Bischoff Henrich mit gunst Bapst Innocentii die erste Prediger Münch St. Dominici Ordens gern hätte nach Straßburg bracht / da waren allenthalben im Land Ketzer / die man Waldenser hieß. Et paulò post: Funden in der Statt allein uff 500. Personen von der Waldenser sect / mann und Weib / darunder sehr viel von Adel / Priester und Zellbrüder / und sonst gemein Volck. Addit historiam persecutionis: Aber 80. Personen / darunter 23. Weiber / derer viel von Adel / sampt Johanne dem Priester / und noch auff 12. Priester auch blieben beständig. MOGUNTIÆ fuisse plures ex Martyriis infra patebit, tum è modo examinis, quem Grezer. edidit, p. 341. 342. Quin imò fassi sunt ap. Nauclerum; si quis Coloniâ Mediolanum pergeret, quavis nocte divertere posse apud fidei complices. "Germaniam.

§. 10. Longè numerosior BOHEMICA erat, inprimis post Jo. Hussi tempora, licet Calixtinorum & Taboritarum dissidio non parum deformata. Sed in hujus Ecclesiæ, licet consanguinea VValdensibus sit, descriptione, multam ponere operam vix necessarium "Bohemiã.

erit

erit, cùm per alios plus innotuerit pridem, quam quæ reliquis locis delituere.

§. 11. Ex principe ditione in reliquas subiectas transivit doctrina. SILESIA & MORAVIA multos numeravit, prout ex antiq. fragm. libr. inquisitor. Flacius Cat. Test. Ver. l. c. refert.

"Silesiam. "Moraviã.

§. 12. AUSTRIA succedit maximè referta. *Circa annum salutis 1315. in Austria, Pataviensi districtu & vicinis Bohemiæ locis ad 80000. eius professionis reperta, quas omni severitate persequebantur Iacobini.* Marnix. Aldeg. de diff. relig. c. 12. p. 150. Confessus erat illud quidam ex eorum concionatoribus, cum Viennæ igni traderetur. Id quod vel inde amplius suaderi potest, cum Reiner. contr. VVald. c. 3. p. 3. p. 299. F. qui ipse inquisitioni se interfuisse dicit, afferat: *computatæ sunt scholæ hæreticorum in diœcesi Pataviensi XLI. In loco qui dicitur Clemmaten fuerunt X. Scholæ.* Illas 41. postea enumerat, in quibus loca non ignobilia; quas vid. d. l.

"Austriam.

§. 13. In SUEVIA deprehendimus etiam vestigia. VValdenses fuisse credit VVolff. Lect. mem. l. cit. de quibus Cranz. lib. 8. Metrop. c. 78. quod sub Friderico II. contra Papam & Monachos Halæ Sueviæ concionati sint.

"Sueviam.

§. 14. *Extat quoque magnum processuum volumen, in quo 443. Waldenses nominatim examinati sunt in Pomerania, Marchia & vicinis locis circa ann. Dn. 1391. & supra dictos articulos sunt confessi. Multi eorum testantur se 20. & 30. annos in secta fuisse: multi etiam affirmant, suos majores quoq; sic sensisse, subindicantes tamen subinde Doctores suos ex Bohemia ventitare solere. Unde apparet, etiam istas Saxonicas regiones jam ante Hussum plenas VValdensibus fuisse.* Verba sunt m. cit. VVolf. *Thuringiam, Marchiam, Bohemiam & Moraviam exprimit ipse, cætera iniquior* Pilichdorf. contr. hær. VVald. c. 15. p. 315. Thuan. l. 6. p. 289. *Valdum ipsum, cum in Germaniam transiisset, per Vandalicas civitates diu diversatum esse, ac postremò in Bohemia consedisse memorat.*

& alia loca.

§. 15. Ex quo Reineriani effati veritas magis patet, quod contr. VVald. cap. 3. p. 299. G. dicit, *non aliam esse perniciosiorem Ecclesiæ quam Leonistarum sectam, etiam quia est generalior. Ferè enim nulla est terra, in qua secta non sit.* Illustrissimum Domini inter hostes suos dominantis documentum & fidei nostræ stabilimentum. Vicissim vanitas Pilichdorffii, qui contra hær. VVald. c. 15. pag. 315.

Angliam,

Angliam, Flammingiam, Flandriam, Brabantiam, Geldriam, Westphaliam, Daniam, Sueviam, Brußiam & regnum Cracoviæ inter ea reponit, in quibus penè nulli Waldenses.

§. 16. Fateor equidem plura fuisse loca, in quibus non nisi secreto sacris operari, & religionis suæ exercitiis gaudere licuerit, violentia adversariorum repressa majori libertate. Neque tamen propterea jure in eos invehitur idem Pilichdorf. contra hær. Wald. c.7.8.& seqq.p.314. Tanquam vel hoc in argumento veritatem illorum Ecclesiæ subvertere posset. Acerbior est anonymus, contrà Wald. editus à Grez. p.335. *Hæresiarchæ Waldenses sæpius nocte prædicant, quando familia Christiana dormit, quam inter se vocant alienam* & die Frembden : Paulò post. *In cameris, solariis, granariis, stubellis, occultißimis & clausis : Ideò* (arrigite aures ad egregiam conclusionem) *non solum non sunt Apostolorum Christi successores, verum etiam sunt fures & latrones*. Væ vobis primitivæ Ecclesiæ, atque adeò purissimæ, nobilissima membra, si his judicibus res agatur ! Nam veræ Ecclesiæ nomen tueri non potestis, quando sæpius ad speluncas vestra sacra redacta sunt.

§. 17. Multis in locis non clancularii tantùm conventus celebrati, sed fuit, ubi exercitium religionis liberum haberent. In Bohemia id cumprimis manifestum. De aliis subdubitat Autor. Catal. Test. Ver. l.15.p.m.1506. Lusernensibus concedit; sed Thuanus lib.27.p.m.1213. negare videtur, cùm ap. Angrunios demum 55. anno ineunte Sextili Evangelii prædicationem juxta ipsorum institutum palàm fieri cœpisse dicat : Lusernenses dein secutos. In universum multa dat Reinerus c.3. p.209.E. *In omnibus civitatibus Lombardiæ & in Provincia & in aliis regnis & terris, plures erant Scholæ hæreticorum quam Theologorum, & plures auditores, qui publicè disputabant, & populum ad Solennes disputationes convocabant, in foro & in campis prædicabant, & in tectis, & non erat, qui eos impedire auderet propter potentiam & multitudinem fautorum ipsorum. Vnde* quæ pag. ead. l.c. dicit : *in locis & horis occultis docent & discunt, nec aliquem admittunt, qui non sit credens eorum*, refelli necesse non est.

§. 18. Sed illa Ecclesiæ externa sunt. *Interiorem* eius decorem videamus. Ita apparebit VERA, VNA, SANCTA, CATHOLICA. De VERITATE ex tota hac disputatione liquere potest. Reineri confessio plus dat, quam ipse putat cap.4.pag.299.H. dicens, habere eorum sectam magnam speciem pietatis: *eò quod coram hominibus justè vi-* Ecclesia vera.

vivant, & benè omnia de DEO *credant, & omnes articulos qui in symbolo continentur: Solummodò Romanam Ecclesiam blasphemant, & Clerum.* Sed blasphemare non dicendus, qui reprehendit vitia, qui illa negat, quæ iniustè sibi Clerus arrogaverat.

Una. §. 19. UNAM dum dicimus: Eam intelligimus unitatem, quam *Vener. noster Præceptor Dn. D. Dannh. Christeid. Act. 1. Opt. Dram. th. 1. (μ) p. 166.* primitivæ ascribit: *unitatem scil. indivisam in se & per se quoad substantiam fidei.* Schismata negare nolumus. Quis enim eam Ecclesiæ felicitatem vel speret: Fuere jam prima ætate nascentis Ecclesiæ illa, neque omninò sine scandalo exteriorum; vid. *Alleg. Christeid. Act. 1. Opt. Dram. Th. 2. Phæn. 1. p. 450. 481.* Eadem sors etiam manebit, quoad aliquid in Doctoribus humani, & ita quod non in perfectionem Angelicam transformabimur.

§. 20. Intereà DIVISA à QVOVIS ALIO COETV HETERODOXO. *Divisa & pura, non tamen divisione & puritate perfecta & summa, hæsit luci aliquid umbræ, auro scoria, ac quod de ignis elemento dixit Philosophus πυρώδης magis dari quam πῦρ,* id hic quoque verum. Verba sunt citati *Celeberrimi Dn. D. Dannh. d. l.* quæ à primitiva merito ad hanc quoque Ecclesiam transferre licet. Eoque magis aliquid condonandum, quo spissiores fuere tenebræ, è quibus recenter emerserant: Adsociabit subinde altera dies, quibus proficiebant in doctrina coelesti. Benignè de Patribus primitivæ Ecclesiæ judicamus, si vel ante discrimina mota securius locuti sunt, vel in disputationis æstu aliquod excidit verbum, quod in deteriorem sensum rapi queat? Eundem & hisce debemus.

§. 21. At mixtam dicas fuisse plurimis eiusdem temporis hæreticis. Ita quidem adversarii calumniantur, sed sine Waldensium nostrorum damno. Extiterunt aliqui eo seculo, qui præter eos à superstitione Pontificiorum dissidebant, in aliis tamen heterodoxi: non propterea illi ejusdem cum Waldensibus Ecclesiæ, sed ab illis divisissimi mansere, nisi quod solemne est adversæ partis quos propriis nequeunt, ut tamen alienis criminib⁹ premant, curare. Si fraudi hoc sit Waldensibus, unitas quoq; primitivæ Ecclesiæ jure à gentili in dubium vocari potuit, quod eodem tempore tot horrendæ sectæ (in hoc tamen conformes, quod Ethnicismum reiicerent) præter γνησίως Christianam existerent. *Conf. Usser. de Eccl. Christ. success. c. 4. p. 284.* Demus, etiam ex ipsis Waldensibus, quosdam ita degenerasse, quis verò nescit in prima antiquitate hæreticos illos è medio

Chri-

Christianorum ortos: Ad unitatem sufficit, quod pro suis non agnoverint, qui exivere. 1. Joh. 2. v. 19. ac omnibus modis, ut possibile est, se ab illis separaverint. Disertè *Pilichdorf. contr.* Wald c. 12. p. 315. *Hæreticorum quidem alios reprobant & condemnant, sicut Waldenses reprobant, imò nauseant, Runcaros & Beghardos & Luciferianos & alios diversos.* Quicquid jam sit de his nominibus, id tamen constare potest, illos non omnes approbasse, qui communi ipsis cum hæreticorum nomine vulgò veniebant. Ita satisfiet Rainero, cum c. 4. p. 299. H. illis improperat: *Sicut in libro Iudicum legitur: quod vulpes Samsonis facies diversas habeant, sed caudas sibi invicem colligatas; Sic hæretici in sectis sunt diversi in se, sed in impugnatione Ecclesiæ sunt uniti.* Adde quod non ilicò hostibus fides habenda, quæ de illorum dogmatibus produnt, cum non semel mendaces deprehensuri simus in hoc argumento, Sect. 3.

§. 22. SANCTITATEM Ecclesiæ asserunt, omnia ea, quæ denuò præf. Excell. noster Præceptor ad Sanctitatem Ecclesiæ requirit in protheor alleg. Christeid. & in Hodosoph. Phæn. 2. p. 110. Fuit sancta. 1. *Gratiæ divinæ, cum oblatione testamentaria Sacramentaria, cùm actuali collatione.* Nimirum baptisabatur, regenerabatur & sanguine Christi alebatur, vivebat verbo & fide: Et Christus in ipsa summus sanctitatis apex. Præterea *jurium & officiorum Ecclesiasticorum professione ac exercitio*: quod consistebat in dispensatione beneficiorum sui sponsi, constitutione ordinis, & decori per ceremoniarum (quarum simplicitatem impiè ridet Grezerus Icon. Wald. p. 220. seq.) determinationem, cœlestium bonorum κοινωνία, ministerii curatione, controversiarum judicio, singulis concesso, cum debita submissione ad normam Scripturæ & dictamen in ea Spiritus S. discipulari etiam non servili ὑποταγῇ, qua doctorum verba sequebantur. His addantur *claves & censura Ecclesiastica*, minus quidem, in Ecclesia pressa, conspicua; *thesauri etiam & S. Lipsana* ingeniorum, non ossium, aut alius ejusmodi suppellectilis. Sanè parum his tribuebant. Rainerus c. 5. p. 301. *A. Reliquias Sanctorum* (inquit) *contemnunt, item sanctam crucem reputant ut simplex lignum.* Ind. error. quem edidit Grezer. n. 16. p. 341. asserunt, *quod nec venerentur illam crucem, in qua Christus pependit: nec spineam coronam nec clavos, nec lanceam, nec tunicam, inconsutilem, si viderent: quorum omnium venerationem dicunt esse vanam, inutilem, & quod Sacerdote invenerunt propterea.* Ante omnia ingenii monumenta. *Scriptura S. & s* Sancta

hujus exegetici libri. De quibus Perrin. apud Hotting. *demum thesauri etiam exteriores & pecuniarii* è collectione & oblationibus divitum; non Sacerdotum luxui, sed pauperum ac doctorum alimoniæ destinati. Ita omnia illa adfuisse constabit, quibus sanctitatē Ecclesiæ definire solemus. De morum sanctitate suus quoq; erit dicendi locus.

Catholica §. 23. CATHOLICISMUS superest (nomine etiam ab illis usurpato, Ind. err. edit. Grezer. n. 35. p. 341. *Dicunt, quod illa secta sit vera & unica fides Catholica, extra quam nullus possit salvari.*) is quoque facilis probatu: fides scil. communis, quam integram & Catholico Prophetarum & Apostolorum suffragio firmatam servavit, catholicam eam fecit. Non excludimus τὸ καθ᾽ ὅλον loci & actuale, quippe ipsa Ecclesia est, quæ in tota terra ab Apostolis plantata τῷ ὁμογενεῖ & consanguinitate fidei & doctrinæ, & potentiali, quæ passis semper manibus quosvis undecunque venientes, si vellent, suscipere fuit parata. Catholica temporis duratio non magis neganda est. Hic verò hostes veritatis occasionem calumniandi oblatam sibi gratulabuntur, & mendacium imputabunt assertioni: Nec tamen vereor eorum impudentiam. Proclive enim est monstrare, ex quo Apostoli è terris sublati sunt, non fuisse seculum, non etiam contractius longè tempus, quin Ecclesia superfuerit, verbi divini & veritatis etiam contra quorumvis aliter sentientium authoritatem, studiosa, & nominatim semper exstitisse, alias majori, aliàs pauciori numero, qui disertè Rom. Pontificis immodicæ potestati & arrogatæ fidei dominio, heroicâ fortitudine sese opposuére. *Catalogum veritatis Testium*, sæpius ab hostibus allatratum, nunquam solidè refutatum, describere non est necesse, cum prostet. Horum omnium ubicunque vixere Germani successores sunt Waldenses, eodem Patre DEO, matre veritate geniti: Nec obstat, quod Waldi ætas supra XII. seculo, jam mediam partem exacto, affixa sit: Si enim Catholicam Eccclesiam respicias, non author ille, non primus plantator fuit, sed repurgator aliquarũ doctrinæ partium: Sin particulares, Lugdunensium vel alias, id nomen meretur, quod illi, qui primi lucem post tenebras aliquo retulere. Idem de reliquis, ut quisq; alio loco judicari integrum est.

§. 24. Id quod dixi Reinerus nobis *c. 4. p. 299. G.* largitur. Ut hujus authoritate utamur, ferre nequit Grezerus, infensissimus optimorum hominum hostis, *cum* Proleg. ad scr. contr. Wald. c. 8. p. 296. G. dicat: *Frustra est Plessæus, cum fictitiæ Waldensium antiquitati advoca-*

vocatum asciscit Rainerum; non enim ex sua, sed ex aliorum sententia ait. &c. inspiciamus sanè verba: ita Rainerus: *Prima est* (scil. causa, cur Leonistarum secta Ecclesiæ reliquis perniciosior) *quia est diuturnior: alij enim dicunt, quod duraverit à tempore Sylvestri: aliqui à tempore Apostolorum:* Ita est Grezere! ex aliorum hæc inserit relatione: num tamen improbat? tantum abest, ut potius ex hoc fundamento primum argumentum ducat suo proposito probando: quam validum, si relationem hanc mendacem credidit? An non potius eiusmodi, cui contradicere nec audeant, quos informat. Falsis præsuppositis uti solemne est, cum adversarios urgemus, dignos quos sua absurda premant, non ubi vel cum nostris disputamus, aut docemus eos, chimæras adversariorum fundamenti loco substernimus. *conf. Iac. Usser. de Christ. Eccl. success. & stat. c. 8. p. 256.*

§. 25. Illa somnium sapiunt, quæ Pilichdorf. fragm. contra paup. de Lugdun. p. 333. H. imputat, dixisse: *quod Socius Sylvestri, tempore Constantini, noluit consentire, quod Ecclesia Constantini temporibus ditaretur, & ex hoc à Sylvestro recesserit, viam paupertatis tenendo; apud quem etiam suis adhærentibus in paupertate degentibus Ecclesia permansit: & Sylvestrum cum sibi adhærentibus ab Ecclesia dicit cecidisse.* Allegasse eos pro maioribus suis, qui superioribus seculis à Constantini ætate contradixere Rom. Ecclesiæ abusibus, non dubium est, & eorum disputationes multæ probant; unum verò Sylvestri socium præ aliis eximium produxisse, nondum Pilichdorfio credimus; & non tam Waldensium (ut Grezer. ibid. in margine adiecit) quam Pilichdorfii hanc lepidam fabellam opinamur.

§. 26. Non itaque ad solum P. de Bruis & Henricum confugere cogimur (quod ridet Grez. d. l.) sed tam antiquos habemus ὁμοψήφους. Quod idem Grezer. dict. l. in Plessæo ridet, dixisse: *montes & convalles aptiores esse religionis puritati conservandæ*; non ita absurdum est. Non ita asperis locis delectati sunt M[o]nachi & Sacrificuli, ignavum pecus, ut amœnis ac fertilibus: focum ardentem, & pingues plerumque quæsivere cœnas: Unde hos potissimum suis dementaverunt superstitionibus, apud quos habitabant commodiùs, aut à quibus lautiùs tractari poterant. Pauperioris & quibus loci genius paupertatis necessitatem iniecit, etiam illa in parte sua miseria tutata est. Si verò omninò tempore proximiores Waldo velimus. Supr. Art. II. §. 16. vidimus, priusquam Lugduno discederet, missos in Alpinas valles, qui ὁμοδόξους sibi cum invenissent, tanto lubentius

eò discessere. In hoc etiam Grezerus se difficilem præbet, quod Waldenses ad nostra usque tempora ac reformationem B. Lutheri superfuisse dicamus. De Bohemia assentitur, quod satis esset manifestum. De Gallia quamvis non sine formidine negare audet. Sleidani, Flacii, & P. Wesenbecii authoritatem reiicit. Adsit ergò Thuanus, Pontificius scriptor, sed quia candidus veritatis sectator, in Rom. aulâ exosus. Is lib. 6. p. 291. *cum huc illuc ab eo tempore dispersi ubique exagitarentur, tamen exstitere semper per intervalla, qui eorum doctrinam intermortuam* (quod publicum exercitium attinet) *renovarent. Io. Wiclefus in Anglia, in Bohemia Io. Hussus & Hieron. Pragensis: nostâ verò ætate, postquam Lutheri doctrina obvia tàm multorum favore accepta est, reliquiæ illorum ubique sparsæ colligi & crescente Lutheri nomine, vires & authoritatem sumere cœperunt, præcipuè in Regionibus Alpinis, & provinciis Alpibus vicinis &c.* Ita hi non à Luthero demum, aut Calvino & Farello, ut vult Grezer. excitati, sed cum prius à Rom. Ecclesia dissiderent, novis Doctoribus adiuti. De Convallensibus idem denuò Thuanus lib. 27. p. 1213. dicit: *eandem ferè quam à Valdo olim hauserunt, religionem in hodiernum usque profiteri.* Ea quoque ratio, cur Sabaud. Duc. uxor magis eis faveret; *qui religionem non heri neque nudius tertius, verùm per tot jam secula à maioribus traditam colant.* Thuan. c. 27. p. 1221. Et quid opus est plura cumulare. Ludovicus XII. cum in Italiam pergeret ingentem edidit Waldensium cladem, is verò quantum à Lutheri reformatione distat? Nec minus quæ Guil. Bellaius Langæus cum Regis mandato in ipsorum mores inquisivisset, repetit, ac de iis testatur, irrefragabilia sunt. vid. d. Thuanus l. 6. p. 293.

Hierarch. Oecon. §. 27. Pensiculatius singulas, ex quibus constat Ecclesia, HIERARCHIAS videamus. In OECONOMICA occurrit ante omnia diligentissimum LIBERORVM EDVCANDORVM STVDIVM: Non ad alias tantum virtutes assvefaciebant charissima pignora, sed cum primis cognitionem Dei etiam in imâ plebe, summâ sedulitate suis implantabant; Quin talem invenias curam, quam multis ex iis, qui nunc vivunt, optes, non invenias. De Franxineæ vallis incolis Thuan. l. 27. p. 1218. *In tanta tenuitate imò miseria ac pedore degentibus, quod & horrida ac deformi specie præ se ferunt, est quod mireris, quod non incultis omninò moribus sint; Nam nemo apud eos nescit literas, & scribere commodè sciunt, linguamque Gallicam callent, quatenus Biblia intelligere & psal-*

psalmos canere possint. Nec quenquam inter eos temerè puerum reperias, qui interrogatus, fidei, quam profitetur, non expeditè ac memoriter rationem reddat; quod illis cum cæteris Convallensibus commune est. Omnes scilicet viri & fœminæ, parvi & magni, nocte & die non cessant docere & discere. Operarius enim in die laborans, in nocte discit vel docet: & ideò parum orant (sanè βαττολογίας Matth. 6. v.7. vetitas odere, veram autem in orando devotionem infrà art.4.Ph.9.probabimus) *propter studium: docent & discunt sine libris: docent etiam & discunt in domibus leprosorum*: & paulò post: *Discipulus decem dierum quærit alium, quem doceat, &c.* Ingenua est confessio Reineri. c.3. p.299. B. Juxta Div. Apostoli monitum, ergò verbum DEI πλουσίως Col.3, 16. inter eos habitabat. Sed infrà de ea re pluribus videbimus. Usui huic non privata tantum parentum institutio faciebat, sed cum primis Scholæ. Diæceseos Pataviensis plures scholas enumerat Reinerus d.l. c.3. p.299. F. ut jam super: Artic. III. §. 12. citavimus, *quadraginta & unam.* Hâc etiam solicitudine, ut peculiares scholas leprosorum instituerent Neuenhofii, ne horum saluti minus prospexisse viderentur. Lombardicas scholas etiam è longinquo frequentabant, ex Alsatiâ eò usque profecti.

§. 28. Conjugii apud eos honestas maxima, & ad interdicta humana non alligari patiebantur. Reinerus. cap.5. p.300.G. *gradus affinitatis & consanguinitatis carnalis & spiritualis, quos Ecclesia instituit, & impedimenta ordinis & publicæ honestatis & Ecclesiæ vetitum spernunt.* Ita vel silentio suo Reinerus crimen purgat, quod Bzovius, Tom.13.ad ann.1199.n.54.p.61. impingit: quasi incestum etiam contra naturale & divinum jus concesserint: Improbantur verò quæ cum ἑτεροζύγοις contrahenda. Huc collimare Fraxineæ vallis incolas dixerim, quando apud Thuanum d.l. *nullas cum aliis affinitates colunt:* Sed idem addit; *nullas amicitias*: quod non tam eorum morositati, aut μισανθρώπῳ affectui tribuendum, quàm quod revera ecclesiam credentium divisam esse debere crederent ab omni cœtu maligno, quoad officia non necessaria. Alius verò animus iis fuit, si spes esset lucrandi conversatione sua quemvis, ut non sine rubore suorum sæpius jam in subsidium veritatis citatus Reinerus d.l. dicat: *Quidam hæreticus ad hoc tantum, ut quendam à fide nostrâ averteret, & ad suam converteret, nocte tempore hiemali, per aquam, quæ Ibsa dicitur, ad ipsum natavit.*

§. 29.

Politica. §. 29. POLITICVM statum quod concernit, eidem, doctrinâ illorum traditam cœlitus majestatem, assertam esse suprà vidimus. Eum humili coluerunt obsequio. Thuan. lib. 27. p. 1218. de Convallensibus jam sæpè laudatis : *Tributum religiosè pendunt, idque secundum Dei cultum in ipsorum fidei confeßione præcipuum est &c. quod si bellis civilibus prohibeantur, illud nihilominus coactum seponunt, & cum per pacem licet, coactoribus regiis studiosè exsolvi curant.* Sic & *Bellatus* apud eundem lib. 6. p. 293. de Valdensibus : *Tributa Principi & sua jura Dominis sedulo, & summa fide pendere.* Cæterum è Magistratibus plerique hominibus infesti fuere, non tam suô odiô, quàm quod ascititium ob Romanos assumendum esset, ne hæreticorum dicerentur fautores. Persecutionum historiæ satis illud docent. Adde quibus petebantur, calumnias, undè apud magnates nõ paucos haud mirum eos pessimè audivisse, & duriter habitos; fuere tamen qui faverent, seu omninò addicti, prout supra recensuimus; seu mirabili div. καρδιαρχία ex hostibus Fautores & Patroni redditi. Vanus est Reinerus c. 1. p. 287. qui cum omnis generis homines, Principes etiam inter catholicos reperiri dixisset : *Sed hæreticorum pauci, & hi tantum pauperes & opifices.* Cum tamen ipse c. 8. p. 307. fusè recenseat, quâ ratione se ingerere soliti sint familiaritati Nobilium & magnorum : ita ut credentes ipsorum & receptatores, & fautores & defensores fierent. p. 308.

§. 30. Raymundus Tholosæ comes pater & filius, nisi quod sub extremum hic defecit, toti ipsorum fuere, extremis etiam propterea periculis objecti : Nec minus Raymundus Comes Fux. vicecomes Biterrensis, Gasto Dn. Bearnensis, Comites Carmaniæ, S Ægidii, Comites Bigerronum, Girarda Vauri Domina, aliique Proceres adhæsere. Ob Tholosanum Comitem affinem, Rex quoque Angliæ illis multum favit. Ibidem Wiclefus inter suos Ducem Lancastrensem, Regis avunculum, aliosque numeravit proceres.

§. 31. De *Petro* Aragoniæ Rege quid dicendum sit, dissentiunt, favisse Tholosano Comiti constat, pro quô expeditionem etiam suscepit, & prælio ad Murellum cum Montfortensi Comite cecidit. *Sententia tamen & appellatione catholicum à factiosis opinionibus vehementer abhorruisse*, tueri audet Jo. Marian. præf. ad Luc. Tud. p. 230. E. Sed conjectura Jesuitæ est, & Religioni ipsi favisse è multis colligitur.

§. 32.

§. 32. Inter Reges Galliæ alios aliis magis propitios experti sunt. Ludovicus IX. post diuturnam persecutionem Monachorum in Delfinatu literas securitatis ipsis præbuit, Atrebati 18. d. Maij anno 1478. Ludovicus XII. non minus ipsorum bono diploma emisit, quo, quæ erepta erant, restituebantur Lugduni 12. Octobr. 1507. Idem Rex fuit, qui antea magnam eorum stragem ediderat, cum in Italiam pergeret, facti pœnitentiâ ductus vallem tum adulterorum, ob religionem à vicinis contumeliosè appellatam, de suo nomine deinceps *Loïsinam* vocari voluit. Thuan. l. 27. p. 1217. Quæ pro Waldensibus Franciscus I. initiô egerit, ad crudelitatem non nisi calumniis & instigationibus Cardin. Turnonii tandem permotus: cujus tamen ad extremum pœnituit, ut in testamento filii mandaret, ut de iniuriis in ea causa Provincialibus illatis quæri juberet, ap. Thuanum lege l. 6. Ex quibus liquere potest, quid de illo Reineri c. 3. p. 301. judicandum, cum illimitatè affingit: *dicens*, *quod omnes Principes & Iudices damnent*: Hos intellexere sine dubio, qui tantam contra eos tyrannidem exercuere.

§. 33. In tertio HIERATICO ordine etiam pleraque, quæ laudes. Non nisi Diaconicam concessere ministris potestatem, Romanorum dictatorium in rebus fidei imperium omninò execrati. Princeps autem causa ministerii CHRISTVS Eph 4. v. 11. Verba Orat. excusatoriæ ad Regem Uladislaum p. 83. D. ita sonant: *Ipsa fide nostrâ credimus, ordinationem Sacerdotum à summo Episcopo, Sacerdoteq; magno in veritate prodire, ut in loco legationis Christi ministerium, evangelizatio, doctrina, judicium, oblatio, orationum ab hominibus gratiarum actiones, laudes de DEO ab eis peragantur.* Summum autem Episcopum illum contrà perverf. Augustini, in Responsione excus. p. 88. B. explicant, se solum Christum summum caput intelligere. Vocationem specialem necessariam credidisse; adeoque vana esse, quæ de promiscua prophetandi libertate (casum necessitatis excipio, in quo sicut quivis contra publ. prædonem miles est, ita Theologus contra corruptores) comminiscuntur, patebit Artic. IV. Phæn. 2. Eiusmodi vocatos etiam ordinationis ritu inaugurabant; quod vel inde patet, cum quales ministros requirant, describunt in orat. excusatoria ad Uladislaum p. 83. b. *Ordinandi maioribus aut minoribus ordinibus promovendi, vita virtuosa in Christi fide alios fideles debent excellere.* (Absurdus est Thomas Henr. Anat. A. C. artic. 8. p. 270. dum hanc

"Ecclesiastic.

illorum propositionem reprehendit : *Presbyteros potiores esse, qui vitæ merito digniores sunt*) Inter requisita mox recensent: prudentiam spiritus, legis div. scientiam, discretionem spirituum. &c. confer Sect. 2. Art. 2. Hæc div. spiritus ubi adfuere χαρίσματα, nulla superstitiosa requirebatur in externis ab aliis distinctio. Ind. error. ap. Grezer. n. 26. p. 341. *Quod coronas & tonsuras Clericorum DEUS odiat: eo quod non sit idem institutor.* Hosce pastores suos Barbas, i. e. patruos appellare soliti sunt, ut hoc nomine si persecutio invalesceret, facilè laterent. In summo illi apud suos honore, ita ut etiam adorari calumniarentur hostes, quod refellimus Sect. 3.

§. 34. Cæterum hisce ministris prædicandi & Sacramenta dispensandi incumbebat necessitas: competebat remittendi peccata potestas; & quidem sine ullorum reservatorum casuum exceptione. Bzov. annal. T. 13. ad ann. 1270. n. 10. disertè ait : *quod se super his* (peccatis remittendis) *eandem & tantam, quam Petrus & Paulus & alij Apostoli potestatem habuerunt, obtinere jactabant.* Ex quo æqualitatem etiam pastorum inter sese, colligimus. Unde *Rom. Præsulem reliquis Episcopis parem esse, & inter Sacerdotes nullum discrimen, ex Æn.* Sylvio Wolf. Lect. memor. ad an. 1160. p. 381. refert. Is anonymus quem edidit Grezer. p. 330. ita hoc eloquitur : *quod Papa, Archiepiscopi, Episcopi non habeant majorem authoritatem, quam Sacerdotes.* Idem & ind. err. eodem edente n. 32. p. 341. Discrimen videlicet internum : licet haud dubitem, fuisse aliquam ratione ordinis discrepantiam : In juramento, quod apostatis proponebant Monachi, extat : Weder mit jhren Meistern / Predigern / Geistlichen. Distinctius idem VVolf. d. l. *Non censent alios gradus Sacerdotales in Ecclesia retinendos esse, præter Sacerdotum, Diaconorum & Episcoporum.* Quod ipsum illis ex Guidon. tribuit Alf. à Cast. l. 11. p. 337. b. Eò collimare videtur, quod in Catalogo Ecclesiarum Diœces. Pataviensis ap. Reiner. loc. alleg. non nisi una Ecclesia in Einzembach nominatur, ubi Episcopus : Ermengaud. contr. VValdens. c. 14. p. 134. illa nobis subministrat : *Ille qui dicitur Præpositus, vel Episcopus, vel Diaconus, nominatus est Rector aliorum hæreticorum sibi subjectorum* De Bartholomæo Carcassonensi suprà Sect. 1. Art. 2. §. 29 vidimus. Argentinensibus hæc confessio in cit. Msc. tribuitur : Daß sie drey Obristen hätten / denen sie geld und anders zuschicken / damit man den armen hülff : der aller Obriste wer zu Mayland: Picardus (VValdus hic an alius, qui è Picardiâ eo venerit?) in

Böhmen /

Böhmen/ und Johannes Priester hie zu Straßburg: wiewol zu Bern/ und in allen Landen obriste Vorsteher weren/ derer viel hundert. Præter publicum autem annunciandi verbi munus, juventutem imprimis diligenter informabant in doctrinæ Christianæ cap. seu Catechesi.

§. 35. Eosdem conjugium dedecere nullatenus crediderunt. ap. Reinerum c.5.p.300.c. *Quod Ecclesia erraverit, matrimonium Clericis prohibendo, cum etiam Orientales contrahant.* Nullo autem modo cum regimine seculari misceri volebant. Reiner. d.l. *Quod Episcopi & Abbates non debeant jura Regalia habere.* Conjugium Clericorum

§. 36. Vivebant, quod ipsorum sustentationem concernit, eleemosynis auditorum, quin & aliunde missis, prout de Lombardis relatum: nec tamen solis, ut ex Æn. Sylv. & Prateol. Parson. ap. Jac. Usser. de Christ. Eccl. Succ. c. 6. p. 204. (locum vide) ac Thom. Henrici Anatom. A. C. art. 8. p. 270. sed & ob temporum necessitatem, suarum manuum laboribus. Habebant in hoc præeuntem sibi Apostolum. Unde in Resp. excus. ad binas literas Augustini p. 88.E. ejus scommati ista opponunt: *Nos pudore nostrorum Sacerdotum non afficimur, ex hoc: quod hi laborent manibus suis, secundum posse victum sibi quærentes: quia sic doctrina & exemplum Apostolicum huc nos ducit: & nos quidem libentius id videmus, quam quod otio vacarent, per tabernas, commercia Veneris, & vanitates sequentes, usuras, sacrilegia cæterasq; nequitias exercentes.* confer eorum declarationem pleniorem ann. 1572. ap. Usserium d. l. pag. 205. Unde nimias illas Ecclesiæ divitias improbarunt. Sedulò conservavit, quæ huc faciunt Reinerus c. 7. p. 307. *dicunt, quod Rom. Ecclesia defecerit sub Sylvestro, quando venenum temporalium infusum est in Ecclesiam: quod decimæ non sint dandæ, quia primitivæ Ecclesiæ non dabantur: quod Clerici possessiones non debeant habere.* Deut. 18. v. 1. *quod Clerici & Claustrales non debeant prabendas habere: quod malum sit fundare & dotare Ecclesias & claustra: quod testamenta non sint Ecclesiæ ordinanda: omnem Clerum damnant propter otium, dicentes: eos manibus debere operari, sicut Apostoli fecerunt: privilegia Ecclesiastica non curant: immunitatem Ecclesiæ & personarum & rerum Ecclesiasticarum spernunt: dicunt, quod omnia jura Parochialia sint adinventiones.* Ex quibus, uti aliqua, cum debito interpretationis moderamine, quod seculi illius status suppeditabit, accipienda; ita plurima colligi possunt, ex quibus liqueat, quales ipsi Pastores & desideraverint & habuerint. Ministrorũ sustentatio.

ARTICULUS IV.

Systema Doctrinæ illorum.

PHAENOM. I.

De Scripturâ Sacrâ.

§. 1. Prima cura in fide nostrâ fundanda, ut principium le-
gitimè constituatur; in hoc ὀρθοδοξίας VValdensis primum quoque
documentum. Constitit videlicet S. literis sua illibata Autoritas,
quinimò, idipsum, si verum fateri velint adversarii, præcipuum hæ-
reseos eorum caput fuit. *Fidei suæ normam & regulam esse dicunt V. &
N.T. seq; credere profitentur iis omnibus, quæ in Apostolorum Symbolo continen-
tur*: Ita ipsi in Confess. 1544. ad R. Francisc. ap. Sleidan. lib. 16. p. 466.
Scripturam autem intelligunt non πατροπαράδοτον, & novo sensu ab Ec-
clesiâ hodiernâ animatam, sed quem legitimo observato ordine,
lectione mediante, idem qui inspiravit spiritus, salutari respiratio-
ne (vid. Excell. Dn. D. Dannh. Hodosoph. Phæn. 1. p. 19.) in cordibus
legentium excitat & consignat: sc. *divinæ literæ eodem spiritu sunt inspi-
ratæ atq; cognitæ.* ut illi in orat. excusat. ad R. Uladisl. pag. 82. Hoc
sanè nomine ab hostibus malè audiunt, ac de ipso P. VValdo
Thuan. l. 6. p. 288. ex Vido Perpinian. criminis loco adfert: *ingenio &
sensu suo fretum* (opponuntur ista obedientiæ, quam Roma sibi pos-
cit) *prædicationis munus sumsisse*, cum priùs testimonia S. literarum
defixisset. Reiner. c. 5. p. 300. H. *Decretales & decreta & dicta & exposi-
tiones Sanctorum respuunt, & tantum inhærent textui.* Allegoricum
quoque in exponendâ pruritum Monachorum rejecisse, literali sen-
su prælato, vel ex eo patet, quod Ebrard. Betun. antihæres. c. 24. to-
tum de hoc argumento conscribit: quod Scripturæ spiritualiter de-
beant intelligi, non ad literam. Quàm autem bellus allegorici
sensus sit propugnator, post trecenta alia vel ex hoc liquere potest
specimine, quod p. 177. subnectit: *Intueamur David qui percußit E-
dom. i. e. terrenum & 12. in valle salinarum. David enim 12. percußit. i. e. 12.
prædicationibus Apostolorum auditis in valle salinarum. i. e. in scriptura ver-
borum benè salita perfectus esse promeretur.* Insulsæ nugæ! Ita & Rei-
nerus c. 5. p. 301. *Mysticum sensum in div. Scripturis refutant; præcipuè in di-
ctis & actis ab Ecclesiâ traditis: ut quod Gallus super campanile significat Do-
ctorem.*

§. 2. Præ-

§. 2. Præterea ſacer iis codex non in latina tantum vel alia ignotâ lingua efficax aut ſanctus, ſed in vernaculo potiſſimum labio, quo inteligi queat, 1. Cor. 14, 9. 23. Exemplo eis VValdus præivit. Quin imò Reinerus c. 3. p. 299. ità: *Tertia cauſa hæreſis eſt, quia N. & V. T. vulgariter tranſtulerunt, & ſic docent & diſcunt.* Haud ſtultè ſapit Reinerus, qui ſolem veritatis occuli optaret, ne radiis eius tenebræ diſſiparentur: addit tanquam inſigne piaculum ſtatuere: *quod Scriptura S. eundem effectum habeat in vulgari, quàm in Latino, unde etiam conficiunt in vulgari & dant Sacramenta*, Reiner. c. 5. p. 300. G.

§. 3. Πολυκοινότης & catholica communicatio Scripturæ, tum è praxi eorum, de qua inferiùs, tum è confeſſione patebit. *Scripturarum S. lectionem & cognitionem omnibus & hominibus, tum laicis, tum ſacratis viris liberam & neceſſariam eſſe; imò potius Prophetarum & Apoſtolorum monumenta legenda eſſe, quam horum commenta.* Centur. Magdeb. XIII. ex vetuſtiſſ. Mſc. Quæ inde incommoda deducit Reinerus dicto c. 3. p. 299. partim reverà incommoda non ſunt, partim à virulento & in calumnias prono animo deſcendunt aut unius alteriusve ignorantiam, quæ reliquis fraudi eſſe nequit, probant. Is Judex Waldenſibus controverſiarum & quidem unicè ſolus. Conqueritur Reinerus d. l. *Quicquid prædicatur, quod per textum Bibliæ non probatur, pro fabulis habent: ſic & antea* c. 3. p. 299. Notes velim, hâc ultimâ voce innui, quod diſertè poteſtatem extra Scripturam de rebus fidei loquendi Eccleſiæ negaverint: Unde etiam ap. Thuan. l. 6. eorum erga Eccleſiaſticos præcipua excuſatio: *in iis, quæ religionis ſunt, DEO* (in Scripturis videlicet loquenti) *non hominibus obediendum.* Calumniam de ſolo N. T. Canonico abſtergam inferius Sect. 3.

§. 4. Inde de perfectione Scripturæ S. liquet, quam ita quoque deſcripſere: *S. literis contineri omnia ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, eoq; nihil penitus recipiendum aut admittendum in religione, niſi id ſolum quod nobis DEUS in S. literis præcepit.* Catal. Teſt. verit. l. 15. ex Vet. Codice; quo adverſarii ipſi hoc iis tribuunt p. m. 1500. E. Undè procul eſſe Eccleſiæ traditiones jubent, quæ de rebus fidei extra Scripturam ferantur. Reiner. c. 5. p. 300. A. *Quod doctrina Chriſti & Apoſtolorum ſine ſtatutis Eccleſiæ ſufficiat ad ſalutem: quod traditio Eccleſiæ, ſit traditio Phariſæorum &c.* Eadem ferè verba Flacius in Cat. Teſt. ver. l. 15. p. m. 1513. F. ex V. Mſc. ante 300 annos à quodam

 Pon-

Pontif. Doctore exarato : add. p. 1500. F. & infra §. 21. Anonymus à Grez. editus p. 338. ita eloquitur : *quod ea, quæ constituuntur ab Episcopis & Ecclesiæ Prælatis, non sint servanda, eo quod sint traditiones hominum, non DEI.* conf. §. 8. Inter hæreticos articulos VVicleſi in Conc. Constant. damnatos 38. est, *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide : & Clerici sunt stulti, qui student eas.* Bzov. T. 15. ann. 1415. pag 396.

§. 5. Neque verò, quod in fastigium αὐθεντίας scripta hum. & Ecclesiastica reponi non sustinent, planè sepulta & rejecta volunt. *Convallenses apud Thuan. l. 27. p. m. 1214. se doctrinam V. ac N. fœdere, atq; Apostolorū symbolo comprehensam: item IV. universalium Conciliorum decreta amplecti. videl. Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis.* Contrahunt in summam in orat. excusat. ad R. Ulad. p. 82. *Omnem fidei veritatem Spiritu S. revelatam, in Scripturis deinde sacris eodem Spiritu S. repositam, atq; in Apostolorum symbolo summatim recollectam : simulq; à primitiva Ecclesia reipsa custoditam, virtutibus, prodigiis, syncero dogmate, martyrio quoq; certificatam. Postremo Concilio Nicæno, ac ab Episcopo Athanasio plurimisq; dogmatistis in hæreticos studio explanatam, necessariam esse ad animarum salutem, præcipuè hoc ævo, pari fide fatemur.* Dispallescit ita calumnia, quæ ap. Bzov. ad ann. 1270. n. 10. *Symbolo fidei non esse standum, nec credendum, neq; pro oratione dicendum, cum sit per Rom. Ecclesiam, ut dicebant, ordinatum.* Quod hoc attinet, pro oratione haberi non posse, res loquitur; reliqua impudenter ficta sunt, quod ex hoc & quem mox producemus n. 13. Reineri loco constabit : conf. Usser. de Christ. Eccl. success. c. 6. p. 199. ubi Parsonium, Coccium, & Sanderum, qui illud nostro tempore scribere adhuc ausi, confundit. Patrum item antiquorum testimonia Scripturæ dictis adjunxit VValdus ap. Thuan. l. 6. p. 288. Patrum testimonia non flocci fecisse; unde quoque contra eos adversarii illis usi sunt, fatetur Joh. Marian. præfat. ad Luc. Tudens. p. 231. c. Ind. err. ap. Grezer. n. 21. p. 341. B. *Dicta Sanctorum nihil curant, nisi quantum pro Secta eorum consentanea retinent.* Ita & in Centur. Magdeb. XIII. ex V. Msc. *Patrum & Conciliorum dogmata eatenus probanda statuunt, quatenus cum verbo DEI conveniunt.* Rectissimè. Vicissim ex alterâ parte rationi non nimium indultum. Eleganter sane in Apologia VVald. exhibitâ ann. 1537. March. Brandeb. *Oportere rationem div. fidei, veluti ejus famulam, non autem fidem div. rationi obsequi & parere ; id ubi non fuerit, ibi ratio hominis figmentum*

tum

tum & idolum regnat, & regina fides parvi æstimatur ; idq; ex DEO non est, & apud nos authoritatem nullam habet.

PHAENOM. II.

De Ecclesiâ.

§. 6. Postquam lumen notum est, quod sequi velis, etiam candelabrum inquiri oportet : an domum mavis, in quâ tutus requiescas. Ea Ecclesia est : haud utique lapidibus aliaque materia exstructa, sed vivis Spiritus S. templis. *Dicunt* (hæretici, contra quos pugnat), *quod bonus homo aut bona fœmina, aut congregatio utriusq; Ecclesia est : & ideò domum manu factam negant esse Ecclesiam.* Ita Ebrard. Bethun. antihæres. cap. 4. ubi magno conatu nihil agit : conatus ex Scripturâ (1. Corinth. 11. 1. Cor. 14. 2. Thess. 2. 1. Tim. 3. Joh. 2.) probare, quod etiam manufacta domus Ecclesia dicatur. Non alio successu idem tentat Bern. Abb. Fontis Calid. c 12. contr. VVald. p. 77. Item Pilichdorf. contr. hær. VVald. c. 23. p. 323 contra eos nititur conficere: *quod Ecclesia materialis consecrata ab Episcopo Catholico dignior sit aliis domibus, & oblationes & orationes ibi factæ DEO acceptabiliores.* Ex quo ultimo quid ampliùs illos intendisse, quam ut soli Ecclesiæ voci suum germanum sensum vellent restitutum, patet: disertè Æneas Sylv. inter errores reponit, *dixisse coarctare maiestatem eius, qui Ecclesias, monasteria, oratoriaq; construunt, tanquam propitior in eis div. bonitas inveniatur.* (Hoc scil. fine improbum videbatur) Nec minus idem è querela Ermengardi (c. 9. contr. hæret. p. 112.) *Omnes Hæretici Ecclesiam manufactam & altaria, quæ in eis sunt ; & Sacramenta, quæ in eis à ministris DEI fiunt, & omnia ornamenta Ecclesiastica ad nihilum deputant, & ad salutem animarum nihil proficere dicunt.* De Sacramentis injuriam facit, reliqua rectissimè. Ipsi de suarum ædium apparatu ita : *In nostris conventibus habemus mensam, non tabulas, non imagines, non cruces, non vexilla, non baptisteria, non aquæ lustralis vasa &c. sed tantùm necessaria, ut scamna, pulpitas, Biblia, libros pro cantu.* ap. Grezer, Iconism. VVald. 2. p. 220 Putida huius scommata aliàs retundere facilè esset, si in hoc aliquid repositum. Id quoque solum contrà superstitionem quorundam dirigi intelligendum est, quod ap. VVolff. lect. mem. ad ann. 1160. p. 381. ex Æneo Sylv. dicitur. *Templum DEI*

latè

state patentis ipsum mundum esse : ejus Majestatem coarctare, qui Ecclesias, Monasteria, oratoriaque construunt, tanquam magis propitius in eis div. bonitas inveniretur.

§. 7. *Ecclesiam*, aiunt, *esse cœtum omnium electorum, & caput habere ipsum Christum.* Confess. ad R. Franciscum 1544. ap. Sleidan. l. 6. p. 466. Quos per electos intelligant, explicant ipsi in apologia exhib. March. Brandeb. p. m. 155. *Est Ecclesia vel maior vel minor credentium in Christum per Evangelium collectus numerus ; juxta id Christi*, Matth. 18. 20. &c. *Et p. p. Placuit in id muneris certa quædam exteriora media verbum nimirum & Sacramenta* (id Ermingardi calumniam revincit) *constituere, quibus id apud suos efficiat, ut tam benignæ DEI erga se voluntatis certissimi sint.* Et paulò post : *Quapropter quicunque velit veram fidei salutisque rationem assequi & habere, certissimusque de Christi erga se favore reddi, hunc oportet ejusmodi Ecclesiæ incorporari, atque inibi de his certior reddi ; Spiritus S. per ministros administrationesq; illorum salutem operatur.* Quibus verbis pleraque, quæ de Ecclesia sciri & credi necesse est, explicantur.

§. 8. De notis Ecclesiæ statuisse nobiscum, ex illis Reineri c. 5. p. 300. B. patet : *Dicunt quod ipsi sint Ecclesia Christi : quia Christi doctrinam Evangelij & Apostolorum verbis & exemplis observent* : Et quæ ex antiquo Msc. producunt Magd. in cent. 12. c. 8. Col. 1206. *Ecclesiam Christi esse, quæ sincerum Christi verbum audiat, & Sacramentis ab ipso institutis utatur, ubicunque locorum ea existat.* Communionem Sanctorum ita explicant in Orat. Excus. ad R. Uladislaum p. 84. *quando membra Ecclesiæ sanctæ, Ecclesiæ bona gratuita, salutifera, administratoriaque, omnibus gratia DEI sine pœnitentia largita, mutuò in communi utuntur, atque secundum donationis gratiam DEI seipsos exhibent ad communem aliorum utilitatem.* Rectè verò huic Ecclesiæ potestatem condendi leges negarunt. Apud Alphons. de Castro l. 6. p. 154. Sic tamen, ut in ceremoniis adiaphoris non morosè repugnarent ; Ita enim ipsi in resp. excus. ad lit. Div. August. p. 90. E. *Custodimus constitutiones, quæ sunt auxilio fidei, spei, & justitiæ, quæ potest ex fide cognosci; &c. quæ adiuvant ad venerationem, rectamq; orationem ad DEVM &c. ne sponte essemus causa dissidij vel mali exempli. &c. Quæcunq; statuta cognoscimus non esse contra justitiam, ea servamus: quæ si ex magna parte contra justitiam forent, si possumus aliquo tamen modo uti eis ad justitiam, ipsis utimur ad bonum sensum: ut circa festa sacra, tum jejunia, aliasq; res eiusmodi, quo scandalum ponere declinemus,*

mus, & ſtudeamus pacem habere cum omnibus hominibus. Debere etiam quoad reliqua in Eccleſia omnia ordine fieri, ac certos eſſe, quorum miniſterio ſacra myſteria tractentur & diſpenſentur. Unde illi in orat. excuſat. ad R. Uladislaum p. 82. B. *S. Eccleſiam Catholicam credimus eſſe congregationem omnium miniſtrorum, ac populi obedientia ſubjugati &c.* Ex adverſariis diſertè Ermengaudus c. 14. p. 134. *Ille qui dicitur Præpoſitus vel Epiſcopus vel Diaconus, nominatus eſt Rector aliorum hæreticorum, ſibi ſubjectorum.* Idem Bellaius ap. Thuan. l. 6. p. 294. à Rege juſſus in res VValdenſium cum cura inquirere, *invenit quosdam è ſuo numero delectos, pro Antiſtitibus Doctoribus habere.* Et Conf. ad R. Uladisl. p. 82. E. *quia à Sacerdotibus Romanæ ordinationis Sacramenta non percipimus, nos ea ratione infidos eſſe cenſent. Ignorant hi profectò nos habere ſuos presbyteros, à quibus ritè inſtituti Sacramento potimur.*

§. 9. Videat ergo, qua ratione ſibi cum veritate conveniat Bern. Abb. Fontis Calid. c. 4. p. 24. ſeq. cum attribuit: quod prædicent omnes paſſim, & ſine delectu conditionis, ætatis, vel ſexus. Argumenta illorum nomine adducit Jac. 4, 17. Apoc. 22, 17. Marc. 9, 38. 39. Phil. 1, 15. 18. Num. 11, 28. 29. additis exemplis veteris Eccleſiæ. Sic Alf. à Caſtro l. 12. p. 379. & Bzov. ad ann. 1270. T. 13. n. 12. *Quilibet ſive ſit laicus, ſive ſit vir, ſive mulier, ſi tamen ſit eorum ſectarius, poteſt verè conſecrare atque conficere corpus Chriſti: omnis vir & omnis mulier de ſectâ eorum eſt verè Sacerdos.* Ultima ea verba, quæ Apoc. 1, 6. reſpiciunt, mentis eorum faciunt indicium; ſi quod in hoc contradixerint Pontificiis, illud fuiſſe: quod quivis actu primo ex redemptionis beneficio Sacerdotii jura impetraverit, tùm exercenda, quando aliquis neceſſitatis caſus incidit. Et ſanè ratio illorum temporum exigit, ut hoc dicamus: ſiquidem ea corruptio non vitæ tantum; ſed & doctrinæ invaluerat, ut omninò neceſſitatis caſus eſſet. Videantur de Eccleſiæ, quæ tum fuit, ſtatu, ipſi, qui contra Waldenſes ſcripſere. Cum ergo aut fabulæ eſſent loco verbi div. audiendæ; aut ab ipſis hoc annunciandum, utique hoc neceſſarium erat. Præterea oppoſitæ erant hæ Waldenſium aſſertiones Pontificiis de ordinis charactere figmentis, ad quæ reprobanda ſatis erat, ſi capacitatem in actu primo ad munia talia Eccleſiaſtica probaſſent, tum demum licito futuro eius exercitio, ubi vocatio accedat, quam lupeſcente clero, charitatis tantum eſſe nihil impedit: deficiente quoque ſacerdotali ordinatione. Bzov. T. 13. ad ann. 1270. n. 11. diſertè queri-

F tur,

tur, *quod sumant sibi potestatem, quamvis non ab Episcopis Rom. Ecclesiæ ad sacrum aliquem ordinem promoti, etiam quod à solo DEO, sicut Apostoli potestatem habere voluerint.* Sanè ita Articulus conceptus est, quem 143. in VViclefo Constantienses condemnarunt ap. Bzov. ad ann. 1215. p. 396. *Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei absq; authoritate sedis Apostolicæ, vel Episcopi catholici.* Id erat, quod offendebat Romanos: sublato ita, quo sibi ad obedientiam cæcam obstrictos homines sibi volebant, vinculo pariter & quæstus occasione. Ulterius VValdenses in hoc argumento progressos, nullus idoneis documentis monstrabit: Et sanè quod doctrinam attinet, quando ap. Reiner. c. 8. p. 307. dicunt: *apud nos tam fœminæ quam viri docent, & discipulus septem dierum docet alium*: intelligendum hoc esse de privata & domestica institutione, tam clarum est, quam quod clarissimum, ex collatione c. 3. p. 299. Porrò quales fuerint, quos ministerio adhibuere in repræsentatione hieratici status, manifestum fuit. Primus hic Ecclesiæ ordo.

§. 10. Politicum verò quod concernit: *Magistratum institutum à DEO fatentur, ut bonos defendat, sontes verò puniat. Deinde non honorem modo, sed tributum etiam illis & vectigalia deberi, nec ullum ordinem hic excipi: &c.* Ita Confess. ad R. Francisc. ap. Sleidan. l. 16. p. 466. ita & Convallenses ap. Thuan. l. 27. p. m. 1214. *credere supereminentes potestates à DEO institutas esse, quibus parere DEUM verè timentibus necesse sit, & quorum quisquis imperium detrectaverit, eum cum DEO bellum suscipere.* Calumnia est Grezeri in iconismo Wald. quam inter Ebrard. & Bernh. in sua edit. p. 223. interiecit, dum docere affirmat, *magistratum à DEO datum, at non sibi, sed aliis*: eo argumento, quia inter sese juri dicundo judices constituant. Fallor, aut Grezero etiam B. Paulus 1. Cor. 6. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Magistratui erat iniquior, ubi idem ex una causa casus.

§. 11. De conjugio ap. Sleidan. d. l. *cum sanctum sit & institutum à DEO, nemini prohibendum judicant.* Definiunt orat. excus. ad R. Uladisl. p. 43. E. *esse duarum personarum utriusq; sexus maris & fœminæ legitimam, honestam & decentem in Christo unionem, castum thorum cum indissolubilitate custodientium.*

§. 12. A thesi ad hypothesin Ecclesiæ Rom. descendendum, & huius supremum apicem Pontificem Rom. Compendio illa ap. Thuan. l. 6. p. 28. *Ecclesiam Rom. quoniam veræ Christi fidei renunciaverit,*

rit, Babyloniam meretricem, & arborem illam sterilem, quam ipse Christus diris devovit, & revellendam esse praecepit: proinde minime parendum esse Pontifici & Episcopis, qui eius errores fovent. Monasticam vitam Ecclesiae sentinam ac Plutonium esse: vana illius vota, nec nisi foedis puerorum amoribus servientia. Presbyteri ordines, magnae bestiae, quae in Apocalypsi commemoratur, notas esse. conf. Jo. Wolff. Lect. memorab. ad ann. 1160. ex Jac. Riber. & Centur. Magdeb. XII. cap. 8. p. 1207. Catal. Test. verit. pag. 1500. conf. inter artic. VViclefi à Concil. Const. damnatos, 37. 41. seqq. De Pontifice speciatim audiamus articulos, qui Argentinensibus martyribus (de quibus Chron. MSc.) ante supplicium, propositi: art. 3. Daß der Pabst ein Haupt sey über die gantze Welt und alle Königreich auff Erden/ auch über alle Christen/ und Macht habe GOttes Wort zu mehren oder zu mindern/ das Glauben sie nicht. Art. 4. Glauben sie daß Christus sein Kirch regiere/ darff kein Haupt hier auff Erden/ daß über Engel und teufel sich erhebe/ in allem Pracht und Reichthumb lebe. Christus wäre mächtig genug/ sein Kirch zuerhalten. Mit dieser Ketzerey wolten sie gern unsern H. Vatter den Pabst verstossen/ ist ein Ketzerey. Art. 7. Der Pabst sey ein Mensch/ darumb kan er irren. Art. 13. Christus und seine Jünger seind arm gewesen/ der Welt Güter verschmähet/ der Pabst nimt mit Gewalt aller Welt Güter zu sich/ verthue solches alles schändlich/ da doch solches alles den armen solte gegeben werden. Art. 14. Wer sich Christo gleich mache/ der sey der Antichrist/ der Pabst wolle nicht allein Christo gleich/ sondern über jhn seyn. Disertè etiam vocant: *Papam omnium errorum fontem & verum antichristum.* ap. Jo. VVolff. Lect. memorab. ad ann. 1160. ex Æn. Sylv. & Reinero c. 5. p. 500. C. *Itaque fatentur: se non subesse Romano Pontifici, nec aliis Rom. Ecclesiae Praelatis &c.* Bzov. annal. T. 13. ad ann. 1270. n. 12. Et hoc principium eorum facit Bernh. Abb. Font. Cal. c. 1. p. 8. Defectionem Ecclesiae Rom. reponunt in priora secula, factam *sub Sylvestro, quando venenum temporalium effusum est in Ecclesiam,* ut Reinerus c 1. p. 300. B.

PHAENOM. III.
DE SUMMO BONO.

§. 13. De DEO, quae ad eius essentiam, attributa & personarum distinctionem spectant, recte docuisse, nisi quod virulenti quidam in dubium id vocarunt, quibus inferius respondebitur; propemodum

modum probatione opus non habet. Reineri c. 4. p. 290. G. Apologia illis sufficere potest, quæ supra producta Sect. 1. Artic. III. §. 18. Judicialiter Tolosæ interrogati resp. ap. Baron. T. 12. ad ann. 1276. n. 12. p. 689. ex Roger. *Nos credimus unum DEVM, trinum, & unum Patrem & Filium & Spiritum S. &c.* & orat. excus. ad R. Uladisl. p. 82. DEVM *omnipotentem in Deitate substantia unum, in personis verò trinum Patrem Filium & Spiritum S. unum DEVM perpetuò benedictum &c.* Ibidem; *De DEO Patre credimus Filium suum unicum perenniter generare &c. De Spiritu S. quod ab utroq; emanet:* confer. Conf. ad R. Francisc. 1544. apud Sleidan. l. 16. p. 466. Præterea docent: *quod DEVS universa pro consilij sui arbitrio producat, regat, gubernet & conservet.* d. Apolog. conf. p. 146.

PHAENOM. IV.

De Caligine mali, summo bono oppositi.

§. 14. Vidimus de summo Bono eos, quod est, docuisse: etiam quod inter mala summum est, peccatum ab ipsis rectè explicatum: De originali ista: *docemus, ut quisq; seipsum & in eo cognoscat, quatenus sciat, quod hic eodem Adami peccato in matris utero & conceptus & natus est. Et quod huius peccati lex, seu genialis proclivitas, corruptio & concupiscentia in eo vigeat.* Apolog. Conf. VVald. sup. cit. p. m. 148. Inter actualia quænam recensuerint, ex legis apud ipsos explicatione liquidum fiet. Nisi quod hic illud tantùm observandum, nullum statuisse peccatum (nimirum in sese) veniale, omnia autem mortalia, quæ ab orthodoxia nihil quicquam deviant. Reiner. c. 5. p. 301. D. Idem testatur Pilichdorf. contra hær. VVald. c. 21. p. 321. qui hunc eorum errorem, quem putat, è negato purgatorio deducit; uti etiam alteram assertionem: *quod quandocunq; DEVS dimittit culpam, dimittat & pœnam.* Quod & Anonymus ille, quem Grezerus edidit p. 339.

PHAENOM. V.

DE HOMINE VIATORE.

§. 15. Hominem eiusque statum quod concernit: *docent hominem protoplastum ab eodem omnium rerum conditore DEO ad imaginem illius factum, sanctum, integerrimum & absolutissimum, immortalem, DEO apprime*

apprime dilectum ac vitæ hæredem, à quo tota progenies sua talis nasci debuerat.&c. Apolog. exhib.Georg.M.Brand.1532.p.m.147. *Post verò ubi Adamus primum atq; omnium maximum peccatum per inobedientiam designaverat, incidit in mortem tum temporariam tum æternam, ac tota conditionis suæ dignitas naturaliter corrupta & vitiata est, ut jam non habitet in eo bonum, sed tantùm peccatum & concupiscentia mala. Ad hæc ut pœnas &c.* VVald. Apolog cit.p.m.148. *Vt ob id ad legis impletionem h e. ad suæ creationis legem & actionem tenendam & exequendam inefficax omninò sit.ibid.*

PHAENOM: VI.
DE LEGE ET EVANGELIO.

§. 16. Sequitur salutis via duplex; Altera quidem Legis, sed ita nunc impossibilis, ut vidimus § præc. eos homini vires legem implendi negare: altera, qua sola jam eo perveniri potest, Evangelii: de hoc in justificationis materia sermo recurret: Id tamen observamus, quod etiam in V. T. ex promissis illis (Evangelii parte) quæ DEVS de Filio mittendo dederat, deduxerint Patres salutem. vid. Apolog. VVald.p.150. tum quoque legis usum in eo agnoscebant, ut peccatum agnosceretur; desiderium autem Redemptoris exhibendi acueretur. Utrumque juxta Apostolum Rom.3.Gal.3.in Chron. VVald. c.3.p.12. Ut verò de Lege certò constaret; & quid eius nomine intelligerent, disertè denominant *Decalogi præcepta; quibus regula piè ac sanctè vivendi tradatur.* Convallenses ap. Thuan.l.27.p.m.1214. Dividunt verò juxta Scripturam in duo illa capita, dilectionem DEI & proximi; unde reliqua pendeant, dict. Apolog.p.147.

§ 17. Ex primo præcepto idololatriam omnem damnant. In idololatricis a. reponunt, ulli, excepto solo DEO, sacrum & religiosum exhibere cultum, *unde cultum Sanctorum inter Satanæ commenta referunt*, ap. Thuan.l.6.p.389. conf. Centur. Magd.12 c.8. p.m.1207. Argentinensibus ista mortis elogia prælecta art. 1. Man solle und müsse GOTT allein durch Christum im Geist und glauben anbeten. Derhalben seyn alle Bilder und Verehrung zu verwerffen. art.2. Die Jungfraw und die Heilgen begehren nicht daß man sie anruff umb Hülff &c. Latius proponit Pilichdorf. contr. hær. VVald. c.20.p.318. *quod solus DEVS sit laudandus, honorandus & invocandus, & sibi soli serviendum : & quod sancti non orent pro nobis propter plenitudinem*

gaudiorum, quam habent, & quod, quia solus DEVS redemit nos, ideò solus possit juvare nos: & sancti sibi ipsis meruerunt & non nobis: & quia DEVS per se benè scit. &c. Quod addit laudem denegasse Sanctorum memoriæ nullo modo ex indubiis probabit. Potius audiend. Confessio ad R. Uladisl.p.86.C.Ubi de veris sanctis dicunt: *sc. eos decenti cultu honorare, obsequi & æmulari.* Veros autem sanctos illos potissimum, qui Scripturæ peculiaria habent testimonia &c. De aliis spem magis esse vel opinionem. Cum autem imaginum mentio facta, non adeò expressè videntur declarasse mentem suam. Jo. VVolf. Lect. mem.ad ann.1160.p.381. ex Æn.Sylv. ita proponit: *DEI & Sanctorum imagines delendas*: Ita etiam Alph.de Castro. l.8. p.244. *Addens idololatricum esse, habere eas in templis, sive illæ sint Christi; sive sancti hominis alicuius*: Adde indicem errorum edit. à Grez. p.340. conf. Pilichdorf. edit.eod.Grez.c.33.p.329. Aliqua ex his duriora, sed quid mirum, cum sententiam ipsorum, ex adversariorum tantum ore cogamur audire? Aliàs fortè vidissemus, ut venerationi prostent, noluisse, aliàs tolerasse. Sanè Pilichdorf.c.33.p.330. *potissimum reprehendit, quod genua non curvent ante imaginem crucifixi, & in Ecclesia incedant non aliter quàm cœci & muti, surdi & obstinati, & asini insensati.* Lucæ Tud. lib.2.cap.9.pag.360. Si credimus, oportet habuisse imagines. Dicit enim singulari astu sanctorum imagines deformes pinxisse. Aut dicemus, seculi nimium imaginibus addicti vitio, in contrarium lapsos esse, eorum aliquos è plebe, mediocritate non rectè attenta. Tumultus eis Iconoclasticus 1561.ap.Thuan.l.27.p.1224. Genevæ aliquid potuit debere.

§. 18. In SECUNDO præcepto omnes superstitiones damnabant. Post Pilichdorf.contr.VVald.cap.24.25.p.325. Ind. error. ed. Grezer.p 340.F.Reiner.cap.8. p.301.B. Alf. de Castro l.3. adv. hæres. p.101. *Omnes benedictiones, quas Ecclesia facit, aut dicit super vinum, panem, aquam &c. aut alias quascunq; res ad usum Ecclesiasticarum rerum necessarias, impij Waldenses cum sua solita temeritate & impietate irrident.* (Pilichd. l. c. illas res taliter consecratas nil omninò singularis sanctitatis ex illis verbis percipere) Repetit eadem cum maiori stomacho, contra benedictiones superstitiosas l.6. p.193. b. 194. Argumentum illorum idem videtur fuisse, quod mox Wiclefistis, ipsorum sectatoribus ascribit: *Dixisse, esse veram practicam necromantiæ potius, quam Theologiæ*, quod idem l. 2. p.65.66. Lollardis VViclefistarum

rum

rum fectæ tribuit loco, qui legi non indignus eſt. Apud Pilichd. l.c. *rem irrationalem omninò nihil poſſe Sanctitatis percipere, in argumentum ducunt.* Poſtea quoque cap. 34. pag. 330. G. queritur de exorciſmo reprobato: *damnant omnia, quæ pij Sacerdotes faciunt circa obſeſſos à dæmone*, & incertus ille, quem edit. Grezer. p. 337. ac index err. eod. edente n. 33. pag. 341. Unde tamen malitioſè deducit: docuiſſe, quod nemo poſſit à dæmone obſideri & vexari. Orationes battologicas improbabant: Siquidem in Canonicis horis cantandis dicendisque fruſtra tempus teri illis viſum. Joan. VVolff. Lect. memor. ad ann. 1160. p. 382.

§. 19 Vi Tertii præcepti, *nulla die ab opere ceſſandum, niſi quæ Dominica nunc appellatur. Celebritates ſanctorum* (quales & quo fine vid. cum ipſi viverent, erant.) *prorſus rejiciendas.* Jo. VVolff. lect. memor. l.c. p. 382. conf. locum Reiner. c. 5. p. 301. quem produco §. & moderationem ſupra §. 8. Huc etiam referendum, quod cultum divinum ordinarium quàm minimo ceremoniarum apparatu fieri vellent, quod ſimplicitas hac in re Deo maximè eſſet cordi. Ulterius is, quem Grezer. edit. cum aliis, incertus p. 337. tribuit, quaſi omnia quæ pro ſolēnitatibus fuerint, damnent & reprobent dicentes, *eſſe pompas & ſuperbias DEO diſplicitas.* Sanè id veriſſimum de eo Pontificiorum exceſſu, cum ea quæ potiorem partem facere debebant, illâ ceremoniarum nimia copia opprimuntur quaſi & obſcurantur.

§. 20. Reliqua præcepta pari methodo conſiderarem, ſi liceret prolixo eſſe. Generalia quædam notaſſe ſufficiet: *Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia tolerandum.* Jo. Wolff. L. memor. l.c. p. 381. & idem Alfonſ. à Caſtr. l. 12. p. 348. Peccatis alienis ne ſumtuum quidem ſubminiſtratione participare licitum, praxis eorum monſtrat ap. Thuan. l. 27. p. m. 1229. 1230.

§. 21. Cæterum ita perfectam in lege vivendi regulam agnoſcebant, ut humanis aſſumentis non egeat, ſeu illa votorum, ſeu eccleſiaſticarum traditionum nomine venirent. (conf. ſupra §. 8. ubi ſententiæ moderamen in expoſitione patefactum) *Quicquid ſummi Pontifices & ordinarij in Eccleſiis ſervandum ſtatuunt, nihil advertunt.* Ind. error. ap. Grezer. p. 341. B. Reiner. c. 5. pag. 301. *Omnes conſuetudines Eccleſiæ approbatas, quas in Evangelio non legunt, contemnunt, ſicut feſtum luminum, palmarum, reconciliationem pœnitentium, adorationem crucis in*

paraſceve,

parasceve, festum Paschæ (an hoc ex vero?) *Christi* (erit corporis Christi festum) *& sanctorum festa spernunt propter multiplicationem festorum: & dicunt, quod unus dies sit sicut alius. Vnde in festis occultè operantur.* Speciatim *abstinentiam ciborum non posse præcipere Ecclesiam, & in tali abstinentia à carnibus dicebant, nullum esse meritum.* Alf. à Castro L. IV. contra hæres. p. 108. Quam sententiam mox Luthero etiam tribuit: repetit. l. 8. p. 240. Eat nunc & socio litem intendat Ebrard. Bethun. antihæres. c. 20. p. 155 qui accusat, quasi carnes comedere, quin & ova, illicitum putent, illorum insuper jejunia, quadragesimali longè plura, non paucis redarguens. Singulari tamen conscientiæ cautione negotium hoc tractasse, patet ex art. 8. ex iis qui Argent. objecti: Krancke und arme/die mögen ohn deß Papsts Erlaubnüß in verbottenen Tagen wol Milch/ Butter/ Eyer/ ja auch wol Fleisch essen/doch ohne ärgernuß. Castrensi opem fert contra Ebrardum etiam Æn. Sylv. ap. Jo. VVolff. l. c. apud quem *etiam mendicantium religiones mali dæmones invenisse dicuntur.* Non multo æquiores erant votis, prout illa in Papatu sunt: *esse scil. hominum figmenta Sodomam nutrientia.* Centur. Magd. XII. c. 8. p. 1207. Inprimis peregrinationes votivæ non probabantur, ap. Ebrard. Bethun. c. 12. antihæres. p. 120. 121. eo potissimum argumento, quod DEVS ubique locorum est, omnia implens loca, & ideò non incessu pedum sed cordis intuitu debet visitari. Tum cœlibatus votivus. Inter Argentinensibus tributa art. 7. Daß alle/ sie seyn Geistliche oder Weltliche/ die Keuschheit gelobt/ und hatten die gnade nicht keusch zu leben / die mögen über jhr Gelübd wol zur Ehe greiffen / were besser/ dann daß sie in Hurerey und ärgernuß lebeten. Der Jungfrauen-stand wäre gut; wer jhn halten könte/ stünde aber zu GOTT. Ind. Error. ed. Grez. n. 31. p. 341. in universum ad ordines monach. id reducit: *Improbant omnes religiones tam monachorum quam sanctimonialium: dicentes, esse superfluas & inanes.* Inter impias assertiones alias VVicleffitæ, quas ad Lecestriam prædicavit, reponit idem Bzov. ad ann. 1382. n. 15. *quod si istæ novæ sectæ, quæ quasi hesterno die venerunt, asserunt vitam suam perfectiorem, quam religionem Christianorum & Apostolorum, volunt sic facere Christum fatuum.*

PHÆ-

PHAENOM. VII.
DE BENEVOLA PATRIS VOLUNTATE.

§. 22. Benevolam Patris voluntatem in omnes pronam ista verba describunt. *Postquam miserrimam hominis sortem hanc misericordissimus Pater ille DEVS intuitus fuisset, istuc jacentem ac penè submersum, unde nullo pacto enatare poterat, miseratus tantæ illius miseriæ, constituit & certò decrevit Filium suum pro eo recuperando, terris demittendum. At priusquam demitteret, multis atq; id sæpe promissis testatus erat, se sc. indubitato misertum iri, & Salvatorem demittendum &c. Largißimum hunc omnium gratiarum imbrem in omnes peccatores effudit, demisso terris filio suo. Hoc enim ipsemet Filius istuc demissus testatur, sic inquiens, Jo. 3, 16. DEVS sic dilexit mundum &c.* vid. ipsorum Apolog. March. Brandeb. exhibit. in VValdens. Balth. Lydii Tom. 1. p. 150.

PHAENOM. IIX.
DE CHRISTO MEDIATORE.

§. 23. Christus salutis nostræ & α & ω. Unde in eius cognitione vita æterna. VValdenses de eo, quales vel expetere liceret. Sola sæpius jam cit. Apolog. p. 151. testis esse potest: Integram, quam de Christo, eius persona & officio inserit, pericopam describere non cogito. Sed Lectores eò volo remissos. conf. Confess. ad R. Uladisl. p. 82. Si antiquorum confess. velis: interrogati in judic. Tolos. apud Baron. T. 12. ann. 1176. n. 12. p. 691. Symboli Apostolici articulos paucis adhuc è Scriptura interiectis repetunt. Præterea *adesse etiam Christum fidelibus suis, quamvis non corporaliter, tamen spiritualiter, potenter, benedictè, in veritate: quod cum hac mansione non abiit, & non abibit à suis, sed ubiq; ubi vult, est &c.* Resp. excus. ad lit. D. Aug. p. 92. E. Hoc verò non tantùm de Sacramentali explicandum esse præsentia, ex allegatis generalibus dictis Matth. 28, 18. 2. Cor. 13. patet.

PHAEN. IX.
DE GRATIA SPIRITUS S.

§. 24. Christi meritum nisi applicetur nobis, alienus manet thesaurus, unde opus est Sp. S. gratia. De quo ita illi in Apolog. p. 154.

fideles

fideles sanctificat, ac meritis Christi implendo vivificat, consolatur, confortat, docet, regit: Nec absq; eodem Sp.S. quenquam Christi participem &c. Præterea quod itidem Sp.S. nullis hominum operibus aut factis demereri possit &c. De justificatione ita docuerunt, p.162. *Docent, quod bona opera citra Iesu Christi fidem, quantumvis magna, non justificent coram DEO, & quod homini sit impossibile sanctissima & inculpatissima facere, bona opera. Addunt: Quod si totum genus humanum præter fidem in Christum solum in id incumberet, frustra omnes conatus suos impensurum. Contra in fide Iesu Christi omnia opera, etiam exigui ponderis coram homine, DEO esse acceptissima & salutaria, quia sanctificationem suam per Christum assequuntur, & certam promissionem mercedis & gratiæ habent.* Non sane hoc, quasi aliam mercedis rationem haberi velint, quam gratuitæ: neque quod solitudini fidei in justificatione aliquid velint detractum, sed quod nudæ professioni fidei, quam Pontificii contra eos, ut apostatas à fide, jactabant, actuosiorem opponerent fidem. Unde *de bonis operibus, ea nobis esse colenda docent & exercenda.* Conf. VVald. ad R. Franc.1544. ap. Sleidan.l.16 p.m.466. Non tamen alio fine, quam quem ipsi ex Eph.2,10. & 2.Pet.1,10. deducimus. vid. Apolog.p.162.

§. 25. Ad sanctificationem nostram etiam *oratio* spectat: Hanc soli deberi DEO, nulli verò è sanctis, anteà vidimus. Quod verò in eodem argumento superstitionem adversariorum, qui in templis orationes factas ex sese efficaciores, & sanctitati loci, quam credunt, participare existimarent, reprehenderint, ex eo colligere licet, cum Ebrard. Bethun. antihæres. c.4. p.79. contra eos probare nititur, etiam in templo orandum, tanquam hoc quoque negassent. *In templo dicit* (scil. Actor. 5.) *non in coquina, juxta ollam bullientem.* Disertè Index error. ap. Grezer. n.14. p.341. A. *Docent orare subditos suos in omni loco, in quo manent.* Bzov. ad ann. 1199. n. 33. etiam attribuit: *Ecclesias adire orationum causa, vel in eis orare, nihil prodesse.* Sanè sensu ante indicato optimè. In conventibus autem suis non orasse, nec audebant asserere ipsi hostes: Alia quoque tribuit Bzovius ad ann. 1270. n. 11. *Nec salutatio Angelica, Ave Maria: nec orationes aliæ sunt admittendæ, neq; dicendæ, quantumcunq; per Rom. Ecclesiam fuerint ordinatæ; nisi tantum Pater noster.* Accinit ferè Ebrard. Antihæres. c.4. p.75. item Pilichdorf. c.28. p.327. Ind. Err. edit. à Grez. p. 340. E. *Nec tam ipsi, quàm credentes eorum dicunt Ave Maria; nisi rarissimè*: & paulò post: *Dicunt nihil orandum esse, præter Pater noster. E. pluri-*

plurimi eorum ignorant ave Maria; Quod sanè Marianam salutationem attinet, orationem ipsi quoque negamus esse. Aliam insuper orationis formulam ab Ecclesia perpetuam & simpliciter necessariam præscribi non posse, quam Dominicam orationem, rectè viderunt VValdenses; ita tamen huic se alligasse, ut non liberè aliis uterentur, nemo Pontificiorum fidem facere poterit; quin imò ne desit innocentiæ defensio, supersunt adhuc consignatæ ab ipsis adversariis aliquæ eorum orationes & testimonia, quæ vide ap. Usser. de Chr. Eccl. succ. & statu c.6.p.200. & Catal.Test.Ver.L.XV.p.1523.1524.ex libr.vetust.inquisit. Sufficit verò adversariis, si odiosè satis sententiam etiam legitimam proponere queant: Quod amplius ex Bzov. T.15. ad an.1372. n.8. patet, qui de Turelupinis, VValdensium propagine dicit: *Voce non esse orandum, sed solo corde, eaq; spiritus libertate, quæ div. legibus subjecta non sit.* Cor utique requisiverunt, contra quàm in Papatu requirebatur: vocem exclusisse, de suo addunt hostes divinas summi Pontificis leges circa precum circumstantias contemsere: de verè divinis nondum probatum. Id quoque improbabant in Pontificiis, quod clausulam dominicæ orationis, quia tuum est regnum & gloria &c. prætermitterent. d. l. p.78. Ad orationem rectè faciendam fide opus esse, eodem loco liquet, cùm adversarios suos Dominicam orationem dicere non posse objicerent, utpotè qui mentiantur, si patris nomine appellent. Βαττολογίαν quoque istorum reprehensam, aliaque ad religionis partem pertinentia, facilè est colligere, è citato jam eorum αὐτοδίκῳ Reiner. c.5.p.300. Idem addit; *quod Latina oratio Laicis non prosit.*

PHAENOM. X.

De Manu Gratiæ Evangelicæ collatrice.

§. 26. Gratiâ divinâ si frui velimus, ut detur div. manu, necesse est: Manus ea *Ministerium* est: de quo illi Apolog. Confess. p. 156. *Constituit DEUS misericors ministros, quos spiritu suo S. afflat, ut sensum verum ac germanum Scripturæ S. & Sacramentorum habeant, & sincerè citra errorum admixtionem administrent*: & paulò post: *Quod Sp. S. per ministros, administrationemq; illorum salutem operetur.* & p.189. *Credunt verbum DEI, seu prædicationem Evangelij & Sacramenta à DEO instituta necessariò requiri ad salutem &c.*

 §. 27

§. 27. De Sacramentorum fine & officio. ibidem in Apol. p. 265. *Ab istorum verò doctrinâ, qui blaterant, quod Christus jam baptisma, jam S. cœnam, & alias administrationes ob id solùm instituerit, ut symbola tantum quædam nuda & inania, nihil saluti conferentia, sed solum Religionem suam profitentia ad extra sint, summoperè cavemus &c.* Thuan. l. 27. p. m. 1214. *Sacramenta à Christo instituta admittere, quibus abundè Christus dona sua, beneficia, opes ac thesauros explicuerit, ac contulerit, qui ad ea verâ ac vivâ fide accederent.* Ultimis istis opus operatum cavetur. *Exoticas, in Sacramentorum administratione, linguas improbant. Vndè conficiunt in vulgari & dant sacramenta.* Reiner. c. 5. p. 300.

§. 28. Duo tantùm esse ab illis admissa Sacramenta, vides in Cent. Magd. XII. d. 8. p. m. 1206. Jo. VVolff. Lect. mem. ad ann. 1160. p. 380. Cum seculo suo loquuntur, *quando septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse* confitentur. Orat. excusat. ad R. Uladisl. p. 82. F. in explicatione enim apparet, Sacramenti nomen non pro eo, quod gratiam efficaciter conferret, usurpari, sed quovis signo, ita ut & ceremoniæ Ecclesiæ, cum oratione admittantur illo sensu.

§. 29. Speciatim. *Sacramentum ordinis dicunt nihil esse.* Reiner. contr. VVald. c. 3. p. 300. G. *Sacramentum unctionis etiam reprobant.* quod idem Alf. à Castro l. 14. p. 429. & Ebrard. Bethun. antihæres. c. 11. p. 118. cuius argumenta contra eos ridicula planè. Confirmationem etiam reiecisse autor est Reiner. l. c. p. 300. E. & ex eo idem Alf. à Castr. l. 4. p. 133. VViclefi sententiam ibi addit, ita à VValdensibus recedentem (si tamen Alfonso fides) quod dixerit, confirmationem à quovis Sacerdote posse peragi, ac solius lucri temporalis cupiditate sibi vendicatum esse ab Episcopis. Reiner. l. c. omnibus illis adscribit, *quod mirentur, quare solis Episcopis liceat confirmare.* Ind. error. ed. à Grez. p. 340. G. *Sacramentum confirmationis non credunt, licet plurimi eorum se confirmari faciant, ne notentur.* Itaque liberam ceremoniam, in quâ nil sacramentale, existimarunt. Absolutio ab illis admissa: licetque eam invidiosè sub consolamenti nomine videre ap. Ermingaud. c. 14. p. 134. Quod coniugium Sacramentum esse noluerint fateri, & quid responderint ad argumentum, quod ex Ephes. 5. adversarii duxisse videntur, ex his Bzov. apparet ad ann. 1270. n. 11. *Loco Sacramenti Matrimonij carnalis inter virum & mulierem, spirituale quoddam matrimonium inter animam & DEVM surrogabant.*

Quid

Quid aliàs de matrimonio senserit, ex iis, quæ suprà Sect. 1. Art. 3. §. 28. & infrà Sect. 3. §. 15. dicuntur, patet.

§. 30. De BAPTISMO: *Quicunq; maturâ jam ætate, auditu verbi DEI fidem adeptus, quâ in animâ renatus, illuminatusq; vim nactus fuerit, talis exteriori lavacro, in argumentum interioris munditiæ per fidem acquisitæ, baptizari tenetur in nomine Patris & Filij & Sp. S. in unitatem Ecclesiæ Sanctæ. Professio ista nostra etiam in pueros extenditur, qui decreto Apostolorum (prout Dionysius scribit) baptizari debent, post ductu compatrum in Christi lege eruditorum, ad vitam fidei invitandos esse, assuescendosq;.* In Orat. excus. ad R. Uladisl. pag. 82. F. Item in Apolog. Conf. p. 189. *quod sit externa, ministerialis & Sacramentalis, in aquâ purâ, corporis ablutio, sub Patris, Filij & Sp. S. nomine, in salutem peccatorumq; remissionem, & signi justificationis, ac fidei fœderis hic cum DEO initi.*

§. 31. De S. EUCHARISTIA minus clara sunt, quæ in Conf. ad R. Francisc. ap. Sleidan. l. 16. p. 466. exstant: *Esse gratiarum actionem, & beneficii per Christum accepti commemorationem.* Solus enim finis ita explicatur. Sed illustrior est confessio March. Brandeb. ann. 1532. exhibita, p. 492. *Docet nos Scriptura S. porrò credere, quod panis ille sit verum corpus Christi, & vinum verus sanguis Christi. Ipse namq; dicit Christus: accipite & comedite, hoc est corpus meum: de Calice verò, bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus, qui est N. T. &c. Quibus quidem verbis Christi, si quis præpostero ordine, prius velit intellectum obtrudere, sensumq; ab illis venari, quàm illi credere, is Christi Magistrum se constituit, &c. Idq; sic, ut aut nimis se hic subvehat, h. e. quod velit integrum Christum inibi viventem corporaliter seu personaliter præsentem corporibus nostris, idq; sub una quaq; specie habere: aut è diverso nimis in ima sese dejiciat & demittat, ut nullo modo hic Christum esse ferat, sed solum nudum ac exsangue, ac nihil operans in animâ signum, seu tesseram tantùm quandam professionis fidei, ac memoriam Christi absentis. Quæ quidem opinio mentem ac finem intentionis ac institutionis SS. Sacramenti Christi, sed & verbum illius prorsus evacuat, & puerilem fabulam efficit.* Et p. p. *Nos ita nobis persuasimus, quod fidere omnibus DEI verbis, est res primaria & tutissima, quæ quidem omnem sensum corporis, sed & rationis ac intellectus hum. longè post se relinquere debet, omnibus præire. Quod deniq; fidei fundamentum nisi jaciatur, nulla ratiocinatio hic sola, aut etiam sensus corporis certa & probata haberi ullo modo potest: &c.* conf. supr. §. 5.

§. 32. Et ne quis suspicetur, eos progressu temporis recessisse à Majorum doctrinâ in hoc articulo: hanc doctrinam ab exordiô Ecclesiæ cum veteri congruentem, prolixè deducunt, tum ex Epistolâ quadam ad M. Jo. Rokezanam missa, tùm è Synodo. Quibus adde, si vis, testimonium ipsius Joan. Calvini, qui in Epistola 224. p. m. 449. suum de Waldensibus judicium (quid nimirum in h. articulo sentiant) Dominis Polonis Evangelium profitentibus, Ecclesiarumque ibidem ministris, tale exposuit: *Legimus* (inquit) *locum illum, ubi suam de S. Christi cœna sententiam exponunt: breviter & verè concisè asserunt, panem & vinum esse verum* CHRISTI *corpus & sanguinem: statim ad Confeßionem transeunt, quæ nostro judicio doctrinam obscurat, vel involuit magis, quam illustret. Queruntur injustè, se calumniis gravari, imò traduci ludibriis & subsannationibus: Sed primos sibi adversarios statuere videntur, quicunque certiùs definiri postulant, quomodo panis sit corpus. Tantum dico, cum non satis disertè vel enucleatè de hoc mysterio locuti sint Waldenses; fastidium à Christianâ modestiâ procul remotum fore, si ab ipsis omnis interpretatio respuitur. Formulam verò confeßionis amplecti, quæ sine discrimine, in unum fasciculum damnationis omnes involuit, qui præcisè non fatentur, panem esse præsentißimè* CHRISTI *corpus (hic recitamus eorum verba) an fas sit Christiano homini, videritis: Nos certè non putamus.* Idem Jo. Calvinus in alia Epistol. n. 298. p. m. 545. ad Waldenses omnium nomine data: *Nos quidem (quod bonâ vestrâ pace dictum sit) manemus in sententiâ, non posse simpliciter recipi Confeßionis vestræ formulam absq; periculo: ac subscriptionem, nisi adhibitâ dextrâ interpretatione: Polonis multarum contentionum originem & materiam fore. &c,*

§. 33. Sed Hussi quoque eadem sententia fuit, prout egregiè contra Zwingerum hoc pluribus deduxit *Magnus ille Theologus*, D.D. Dorschæus im schrifftmässigen Unterricht D. Zwingers Predigt von H. Abendmahl. c.4. p.143. c.6. p.238. & seqq. prolixius ex B. Martyris scriptis irrefragabiliter deducit: videlicet & realem præsentiam corporis Dominici & oralem manducationem illi probatam fuisse; quin etiam indignorum manducationem ipsi complacuisse, evincit c.7. p.254,

§. 34. Quæ omnia collecta, mediam viam hic tenuisse Waldenses, qui cum his fecere; ut neque ad infamem scopulum præsentiæ figuratæ allidérent; neque tamen in devia transsubstantiationis

nis inciderent, evincunt, ac à nemine alio tanquam ὁμοψήφους allegari posse, quam nostrâ Ecclesia. Patet illud etiam: quæ Ebrard. antihær. c 8. p. 102. & Erming. c. 11. p. 116. de perversa explicatione verborum institutionis adferunt, Berengarii mentem redolente, non de VValdensibus intelligenda, si veritas ipsis constare debet: ita & quando eodem loco communionem corporis Dominici in verbi perceptione dicuntur constituere, quod tamen dum adfert Erming. p. 119. indefinitè dicit, *sunt quidam hæretici &c.* quod æquè facilè de aliis intelligitur. Simul in ruborem datur Joh. Mariana, & quotquot ipsocum faciunt in præfat. ad Luc. Tud. p. 231. A. qui adhuc nostro seculo ausi sunt scribere, statuisse in Eucharistiæ sacramento corpus CHRISTI non esse. Colorem ei faciebant per aliam calumniam: quam ipsi recensent in Resp. excus. ad liter. Augustin. p. 87. E. *Falsò nos arguit, non esse hanc nostram confessionem ex ejusmodi ratione, quod alia scribimus de Sacramento corporis, Christi & alia credimus.* Hoc nimirum ultimum effugium est eorum, qui, si aliàs resorbere calumnias cogerentur, hypocriseos adversarium sine ratione postulant. Nec minùs in contrariam partem longius abiens Reiner. c. 5. p. 300. ubi transsubstantiationem illis relinquit: & quidem *quod transsubstantiatio non fiat in manu indignè conficientis, sed in ore dignè sumentis.* Transsubstantiatio omninò improbata, quod vel ex jam allegatis patere potest, & si quis plura velit, legat Resp. illorum ad lit. D. August. p. 87. E. seqq. ubi eo argumento commentum refutant, quod verba institutionis non faciant mentionem, & quod Paulus adhuc post consecrationem nomen panis usurpet: Confer articulos VViclefi à Concil. Constant. damnatos ap. Bzov. T. 15. ad ann. 1415. p. 396. inprimis primum & secundum. Imò in hoc non ad scripturam tantum, sed & consensum Doctorum antiquorum & sanctorum provocarunt ap. Bzov. T. 15. ad ann. 1382. n. 15.

§. 35. Quod PERSONAS, MYSTERIUM HOC DISTRIBUENTES attinet, disertè Presbyterum rectè ordinatum exprimunt in Confessione ad R. Uladisl. in Fascicul. rer. expet. pag. 85. b. *Intereà quod bonus laicus, etiam mulier, si scit verba, conficiat.* Cat. Test. ver. L. 15. p. m. 1510. E. ex v. codice msc. (quod de casu necessitatis intelligendum hoc evincit, quod Pilichdorf. contra hæres. VValdens. c. 1. p. 313. laicum qui se ipsum, & quosdam complices communicaverit, ab aliis hæresiarchis (ut loquitur) redargutum fatetur. In ind. err.

ed. à

ed. à Grezer. p. 340. de aliquibus *memorat, qui se ipsos communicarent*: Sed partim Magistris contradicentibus factum asserit, partim ea, de aquâ in cochleari addit, quæ haud obscurè falsitatem redarguunt. De CEREMONIIS illa Bzov. T. 13. ad ann. 1270. n. 11. habet. *Loco Eucharistiæ corporis Christi, panem quendam, quem benedictum* (1. Cor. 10.) *seu S. orationis appellaverant, in principio mensæ tenentes manibus, juxtà ritum suum benedicebant, frangebant, & credentibus suis distribuebant.* Quàm contemtim de re tantâ loquitur? Ut etiam Grezer. in Iconism. V. Vald. p. 121. vix scommatum satis reperit, quibus illudat, *quod minister vulgari veste indutus sit, cruces non formet, canticum canatur. &c.* Legantur verò integra, nihil in omni eo, quod non simplicitatem piam & religiosam sapiat: Sed Pharisæus eam ferre nescit. De *loco* Reinerus c. 5. p. 300. F. *quod confici posßit in mensâ communi.* De TEMPORE ibid. *quod semel in anno fideles communicant, hoc reprobant, quia ipsi quotidiè communicant.*

§. 36. *Dicunt amplius; quod Missa nihil sit, quia Apostoli eam non habebant: & fiat propter quæstum. Item Canonem Missæ non recipiunt, nisi tantum verba* CHRISTI *vulgariter*: item *dicunt, quod oblatio, quæ fit sacerdotibus in missâ nihil sit, neq; proficit: Item osculum pacis & altaris reprobant.* Rein. c. 5. p. 300. F. Ita & adorationem. Confess. ad R. Uladisl. p. 85. F. *Colere sacramentalem subsistentiam corporis Christi & sanguinis, nullum est jussum credentibus traditum &c.* Et paulo post: *Mandatum, Christum verum Deum & hominem, non in Sacramentali existentia, sed in naturali subsistentia & personali, in dextera genitoris sui colere, adorareq;.*

§. 37. Præter hæc, ut utraque species in Sacramento usurpetur, urserunt. Bohemorum hac in parte zelus notus est; licet sint, qui de Husso dubitent, & soli Jacobello de Missa adscribant. Vide tamen vindicatum Hussum ap. Zach. Theol. Hussitenkr. p. 1. p. 16. Deinde qui etiam Hussi partes non in omnibus sequebantur; sed aliis papatus articulis retentis, calicem sibi noluere eripi, Calixtini dicti sunt; adeò nullus ferè tum è Rom. Ecclesia diffidebat, quin hanc Sacramenti Dominici mutilationem improbaret. Quinimo Bohemi & Conf. ad R. Uladisl. *usurpari debere utramq; speciem ex fide & necesßitate ordinatæ salutis.* p. 85. fatentur.

PHAE-

DE ORDINE DIVINO POENITENTIA.

§. 38. Ad pœnitentiam requirebant cor contritum & humiliatum, fidem Christi veram, & resipiscentiam à retroactis vitiis, (fidei sobolem) In profess. fid. ad R. Uladisl. p. 83. F. ubi quasdam alias miscent formulas, quas seculo condonare licet conf. eor. Apolog. p. 159. uti toti nostri sunt, & relapsorum quoque pœnitentiam exprimunt. De confessione quid senserint ex his colligimus. Æn. Sylv. attribuit ista: *Auricularem confeßionem nugacem esse: sufficere sua quemq; DEO in cubili suo conqueri peccata.* Nec tamen ex his adhuc confici poterit, quod omnem confessionem, quæ ministris Ecclesiæ fit, sustulerint, sed eam tantum, quæ isto tempore revera etiam in confessionis negotio minus erat probanda. Alf. à Castro L. 4 contra hæres. p. 129. pro non necessaria duxisse ait, & propterea cum Jacobitis & Lutheranis ipsorum sententiam conjungit. Ita etiam Prateolus ap. Usser. de Christ. Eccles. Succ. & stat. c. 6. p. 203. *Auricularem confeßionem prorsus tollunt, eam neceßariam esse negantes.* Ex quo nollem arguere cum Usserio d. l. contradictionis eos autores, qui hanc θέσιν eis ascribunt: potestatem audiendi confessiones non solum sacerdotibus à Christo datam, sed & fidelibus Laicis, videlicet in necessitatis casu, cum illorum copia non est. Itaque absolutionem privatam nulli contemsere, sed illius ritus, consolamenti nomine describit odiosissimè Erming. c. 14. contra hæres. p. 135. De cætero: *satisfactionem tertiam partem pœnitentiæ Sacramenti auferebant.* dicit Bzov. T. 13. ad ann. 1198. n. 34. Ipsi ap. Reiner. c. 8. p. 307. H. *Ipsi (scil. sacrificuli Pontif.) pœnitentes onerant pœnis gravißimis, quas nec digito movent: nos vero exemplo Christi dicimus peccatori; vade jam & amplius noli peccare: & ei per manus impositionem omnia peccata relaxamus.* Indulgentiarum nundinationem pessimè oderant ap. Alf. a. Castr. l. 8. p. 247. Argumenta quæ urserunt contra Indulgentias, vide ap. Anonym. refut. err. Wald. ed. à Grezer. p. 339. conf. etiam Pilichdorf. contra Wald. c. 30. p. 328. Inter alia hujus sententiæ fulcimina, hanc quoque hypothesin referimus, *quod quandocunq; alicui dimittitur culpa, dimitti & pœnam credidere.* (vid. supr. §. 14.) itaque non tàm ob indiscretam quæstuosorum sacerdotum avaritiam, ut Pilichd. c. 30. p. 29. visum, contradixere, sed ipsi rei.

§. 39. De fide docuere: In orat. excus. ad R. Uladisl. p. 82. *Viva fides universale est fundamentum salutis humanæ, quæ fides dono Spiritus S. meritoq; gratiæ Christi principaliter largitur, in Ecclesia verò voce Evangelica ac veritatis verbo ministerialiter annunciatur; Sacramentis quoq; Ecclesiasticis exemplariter confirmatur.* Cæterum accusatur apud Ebrard. antihæres. c. 16. p. 135. tanquam primarium officium fidei negassent, operibus se non fide salvari credentes: contra quem errorem etiam omnibus viribus disputat Ebrardus, adeò ut Grezerus etiam vix se expedire possit. Sed illa quoque accusatio Ebrardi vana est. Ipsorum profess. fid. ad Uladisl. p. 84. aliter loquitur: *Qui vivaci fidei communicat, (NB.) ea ipsa veritatem relaxationis vitiorum in Christo assequitur: simulq; quia Sacramentis Ecclesiæ participat, solutionem criminum in eadem fide atq; certitudine adipiscitur.* Si de fide explicemus, quod de consolamento dicit Erming. c. 14. contra hæret. p. 135. ita verba habent: *quod nemo parvus vel magnus, vir seu mulier, nisi illud consolamentum ab ipsis consolatis receperit, cœleste regnum & Angelorum societatem aliquo opere vel beneficio vel contemplatione, religionis, nec etiam martyrio, & si ab omnibus, quod est possibile, peccatis & delictis se abstineat, consequi potest.* Unde etiam *varios esse ordines & varias religiones salutis negabant.* Ebrard. Antihæres. c. 19. p. 149. sola regia fidei via contenti.

PHAENOM. XII.

DE VIÆ APOLYSI ET NOVISSIMIS.

§. 40. Quæ de extremis docuerint Waldenses nostri, nobis quoque extrema in hac confessione erunt. Mortem pro redemtione habuisse, ex ipsa eorum ad supplicia subeunda alacritate patet. Solitos autem, priusquam defungerentur, valido solatio munire, ex ipsa consolamenti ridicula descriptione, qua eis invidiam facit Ermingaud. cap. 14. p. 134. colligere licet. Lucas Tudens. L. 1. c. 1. pag. 235. attribuere videtur, quod dicant; *Dominum Christum Iesum vel Sanctos ejus, in hora mortis sanctorum non adesse ad solatium animarum.* Id verò tantum de apparitione visibili, tota ejus deductio probat intelligendum. *Cœmiteriorum inanem usum quæstus gratia repertum &c.* Jo. Wolff. Lect. memor. ad ann 1160. pag. 381. & ante cum Alf. à Castr. L. 13. p. 410. b. & ante hunc quoque non sine stomacho ac operosa impugnatione Pilichdorf. contra hær. Wald. c. 22. p. 322. 323. *salubrius* hoc esse

esse concludens. Idem in Ind. error. ap. Grezer. p. 346. F. *de sepulchris in Ecclesiis & cœmiteriis non curant: nisi ut non notentur: dicentes, utilius esse in locis aliis sepeliri.* Adde Rein. c. 5. p. 301. Colligere etiam idem licet è Luca Tud. l. 1. c. 22. p. 252. qui amplius addit: *solennisationes Ecclesiæ, ut est cantus officii, pulsatio campanarum, & his similia, mortuorum spiritibus non prodesse.* Venturum Christum in die judicii ad judicandum vivos & mortuos, & omnes resurrecturos, confitentur publicè, & in judicio. ap. Baron. T. 12. añ. 1176. n. 12. p. 691. ψυχοπαννυχίαν, (sed post Patrum benè magnũ numerum) placuisse, si non omnibus, tamen aliquibus, infrà ex Bernhard. Abb. Font. Cal. & Luc. Tud. iñuetur; quo alterum etiam Lucæ refero: *Sanctorum animas DEUM non laudare,* quoad videlicet judicio extremo in plenam beatitudinẽ intromittantur. Ignem purgatorium constanter rejecere, Pilichd. contra hær. Wald. c. 21. p. 320. Ubi eadem, quibus & nos utimur, argumenta & respons. ad object. deprehendere est. Add. Luc. Tud. l. 1. c. 7. p. 237. *Inter Satanæ commenta referentes.* Thuan. l. 6. p. m. 289. non minus ac Hussus ap. Zach. Theob. Hussitenkr. P. 1. c. 3. p. 4. add. c. 17. p. 246. Rein. c. 5. p. 301. Dicunt, *quod exequiæ mortuorum, missæ defunctorum, oblationes funerum, testamenta, legata, visitatio sepulchrorum, vigiliæ lectæ, anniversarius, tricesimus, septimus, suffragia &c. non prosint animabus.*

§. 41. Quid defunctis Sanctorum animabus tribuerint aut negarint, ex his Bzovii T. 13. ann. 1270. n. 11. ascribo: *Sancti qui sunt in cœlo, orationes nostras non audiunt unquam nec exaudiunt, nec pro nobis ad DEUM orant: unde non est licitum eos orare, nec eorum suffragia implorare, nec pro eorum reverentia festa celebrare: quamobrem & miracula eorum &c.* Pilich. cont. hær. Wald. c. 19. p. 317. illa scribit: *Tenent Waldenses hæretici, B. Virg. Mariã & sanctos in patriâ tantis impletis esse gaudiis, quod nihil possint cogitare de his, quæ in terris fiunt, & per consequens, eos non esse invocandos à nobis; quia non possunt orare pro nobis.* Idem refert ille incertus, quem edid. Grez. p. 336. A. & ind. err. n. 1. ap. eund. p. 340. E. *ignem infernalem dicunt incorporeum: quod ignis corporeus rem incorporalem tenere non possit.* Addit. Luc. Tud. c. 4. 5. 6. alia, dubia, falsa; sed illa Albigensibus omnia tribuere non integrum. Cum & alii taceant, & Lucas Tudensis ipse non disertè ascribat, siquidem non contra eosdem & solos Albigenses ea omnia scripta, vel ex collatione 3. & 4. de sententiis adversis conceptorum, clarum fit, tùm quod c. 5. p. 246. *contra illos, qui sine virtutum meritis præsumunt in Eccle-*

fiis sepeliri disputat. Hi utiquè VValdenses non sunt, quos ab ea superstitione ita alienos modo vidimus, ut Tudensis ipse reprehenderit: Sic & errores, qui apud alios extant: Ebrard. antihær. c. 9. p. 108. non idem numero corpus resurrecturum, & c. 18. p. 148. mulieres sexum mutaturas, sine fundamento VValdensibus impinguntur.

SECTIO II.

ARTICULUS I.

Hostes externi & intestini.

§. 1.

VTi varia semper Ecclesiæ sors fuit: ita in hoc uno ferè eadem mansit, quod militantis nomen reipsa sibi convenire experiretur. Hostium magnus numerus, nocendi modi, & artes mille.

Hostes intestini.

§. 2. Ii verò & EXTERNI & INTESTINI. INTESTINOS quod attinet, huc SCANDALA referimus, quæ vel aperta, vel tectiora. Quamvis enim eorum in doctrinâ puritatem pluribus jam probaverimus, & mox innocentis vitæ allaturi simus testimonia; ea tamen intelligenda sunt hoc modo, quo in rebus humanis perfectum quid cogitari potest, ut scil. semper quid adhæreat, quod nolles: In doctrina est, ubi uni alterive nævus adhæsit, quamvis illi fortè non universales fuerint omnium; alicubi in φράσει quiddam emendari potuisset, ubi mens optima. Quæcunque autem illa fuére, seu traxere adhuc è Papatus caligine, è qua recens erant egressi; aut in alteram partem seu disputationis calore, seu aversationis, cæteroqui justæ, vehementia longius discessere: Ita tamen ut fidei semper salvum maneret fundamentum: subindè autem per gradus lux oriretur defæcatior. Sanè tantò facilius illis eos nævos condonare possumus, qui condonamus Patribus, quod exclusi ex Academiarum consortio in suorum congressibus discere tantum potuere, quantum discendum erat; unde Philosophiæ & Philologiæ, quæ Theologiæ famulantur, non ea ἀκρίβεια, licet ne ab his quidem rudes fuerint omninò. Quod mores attinet, largiamur sanè etiam fuisse nonnullos, qui professionem suam dispari vitâ commacularent; quos tamen rarissimos fuisse, ex iis, quæ Artic. II. dicemus, apparebit; nec ob hoc iniquiores ipsis cum agere convenit, qui cum plerisque locis occulti

vivere

vivere cogerentur, non pari severitate cohibere suos potuere, quâ possunt, quorum ministerium ampliori potestate instructum, & à Magistratu civili juvatur.

§. 3. Inter Externos multi fuere: non tantùm varii hæretici, qui sub eorum tegmine latere volebant, cum tamen non agnoscerentur. Planè prout in primitivâ Ecclesiâ accidit. Undè si cui non sufficiant, quæ S.3. suspicionem de Manichæismo elevare poterunt, ad summum nihil ampliùs efficietur, quam fuisse etiam eodem tempore, iis locis, quibus comorabantur Waldenses, qui deliria Manichæorum sequerentur, nunquam tamen sine injuriâ ipsis cum confundendi. Ita etiam sunt, qui Arianos irrepsisse censent. vid. Excell. Dn. D. Dannh. in Msc. Christ. Act. II. Phænom. IX. & Mares. P. 2. de Antichristo p. 470. Sed Anabaptistarum quoq; semina quædam fuisse sparsa, qui diligenter evolvet, fortè deprehendet. Hi verò hostes tantò magis nocuere, quia & in publicũ adduxere odium, Pontificiis strenuè hoc agentibus, ut eiusdem furfuris omnes viderentur, & minus caveri poterant, quia latere fuerat propositum. externi.

§. 4. Sed publicè professos hostes jam videbimus. Supremus dux Satanas, Joh. 8. 44. reliqui ministram ei, etiam aliquando ignorantes, præstitere operam. Neque enim hoc insolens Joh. 16, 2. Si inter Ecclesiasticos alii primum locum, quàm Pontifici assignaremus, hoc etiam in argumento haberent, de quo quererentur eius asseclæ: scil. post Satanam nullus virulentior Waldensium nostrorum hostis fuit, quam Antichristus Romanus. Vaticinium expleri oportebat Apoc. c. 17, 6. Cum autem multi ab eo tempore sedem tenuerint Pontifices, nullus æquior quidem fuit, alii tamen aliis violentiores. Alexander III. agmen ducit, dum circa ann. 1159. in Concil. Lateran. illos damnaret. Illa inscriptio de Univ. hoc concilio ap. Boxh. H. univ. p. 707. ALEXANDRO III. PONT. FRID. I. IMP. WALDENSES ET CATHARI HÆRETICI DAMNANTUR. Successor Lucius eundem servavit animum. Eius contra hæretic. diploma retulere in Decret. Extra. de hæret. c. ad abolendum. Innocentius III. nihil pigrior. Diploma ad Gallic. Eccles. quo Fr. Reinerium & Guid. contra Waldenses ituros armavit, vide ap. Bzov. T. 13. ad ann. 1198. n. 6. p. 7. Non segniores Gregorius IX. ap. Bzov. T. 13. ad ann. 1232. n. 7. 8. 9. executionem vid. ap. eund. ann. 1234. n. 24. ann. 1235. n. 7. Innocentius IV. cujus diplomata 2. ann. 1254. videb. ap. Bzov. T. 13. d. ann. n. 2. & 3. Alexander IV. ann. 1257. Bzov. ibid. n. 6.

Host. Ecclesiastici, Pontifices.

Alex. III.

Lucius.

Innoc. III. & alii.

n. 6. & 7. & ann. 1260. URBANVS IV. Bzov. ad ann. 1262. n. 3. Sed quid omnes enumero? legatur eorum, ubicunque is sit, catalogus: jamque is fuerit index hostium Ecclesiæ Waldensis, neque enim facilè unum merito exceperimus. CLEMENS IV. tamen, HONORIVS, BONIFACIVS VIII. JOHANNES XXII. MARTINVS IV. GEORGIVS XI. PAVLVS III. ut præ cæteris non omittantur, meruere. Odia continuavere in Wiclefum & Hussum, ac omnes qui post hos eandem institere viam. Quinimò nec hodiernus ALEXANDER VII. sustinuit in hoc non legi Catalogo, cum Sabaudiæ Ducem recentius contra eosdem instigavit, & belli in eos ultimi tuba fuit.

Inquisitores & persecutores.

§. 5. Principis exemplum secuti sunt alii Ecclesiastici, mansuetudinem aliàs professi. Inter præcipuos Antagonistas collocat Bzov. T. 13. ad ann. 1270. n. 13. BONAVENTVRAM, ord. minor. & Thom. Aquinatem ord. prædicat. qui scriptis contra eos egerint. Antecedit sine dubio Dominicus Guzmannus, quem Didacus Ep. Oxoniensis in regularium ordinem assumsit, & Priorem constituit 1199. ap. Bzov. n. 26. Quæ contra Albigenses egerit vid. ap. eund. ann. 1204. n. 23. seq. Initio miraculis & predicatione expertus erat, sed cum non æque succederet, Simonem Montisfortis Com. ad arma strenuè hortatus, præcipua belli illius atrocissimi fax & tuba, conf. Bzov. d. l. ann. 1209. n. 10. Posteà novum modum victoriæ contra hæreticos B. virg. ipsi revelasse dicunt, Psalterium & Rosarium Bov. ad ann. 1213. n. 9. Adeo ipsius opera res Romana egere visa, ut per somnium Innoc. III. viderit, Basilicam Lateranensem lapsantem, eius & Francisci sustentari humeris, quo se postea faciliorem in confirmatione ordinis præbuit, Inquisitionis officio addito. Ad ann. 1215. n. 6. 11. Dominicum suum eiusdem ordinis socii posteà strenue secuti sunt, inter omnes alios crudelissimi fidelium persecutores.

§. 6. JOHANNES DE BELLOMAIS Archiepisc. Lugdun. primùm illos, vivente adhuc Petro Waldo, excommunicatione, dein exilio animadvertit. In actione quæ contra eos instituta est Tolosæ, Baron. T. 12. ad ann. 1176. p. 697. memorat, Petr. Archiepisc. Narbon. Gilb. Ep. Lugdun. Gocelinum, Ep. Lodev. Geth. Ep. Albiens. & plures alios. Anno 1198. missus contra eos ab Innoc. III. Fr. Raynerius & Fr. Guido cum plenissima potestate & literis ad Ecclesiam Gallicanam apud Bzov. T. 13. d. anno. n. 6. p. 7. Eodem anno Petrus Parentius acerrimus hostis & persecutor hæreticorum (ut Bzov. vocat) d. l. contra

illos

illos inHetruriam missus est, qui authoritatem Pontif. repudiabant: inde Arn. Almaricus Anno 1204. Idem Innoc. Cisterciensem Abbatem unà cum duobus monachis fontis frigidi, Apostolicæ sedis legatos, cum plenaria potestate, & amplissimis facultatibus legatorū contra Albienses misit, ap. Bzov. h. ann. n. 22. quin & 12. abbates Cistercienses ivere cum legato, qui crucem contra illos prædicarent. Anno 1209. interfuere expeditioni cruciatæ contra Albig. ex Ecclesiasticis: Petr. Archiepisc. Senonensis; Episcopi Eduensis, Claramontensis, & Nivernens. Bzov. h. l. n. 9. Guido Abb. Vallis Sernarii, Simonem Montfortium ad bellum illud instigavit, cum quo eius ex sorore nepos, Petrus de Valle Sern. Monach. Cisterc. profectus, Bzov. & ann. 1199. n. 32. is qui mendacissimè historiam Albigensium compilavit. conf. Sect. 3. n. 9. etiam eâ in re hostili animo satisfaciens. Anno 1213. contra ipsos missus Hugo Ep. Reginensis & Theodos. Canon. Iannensis, qui etiam contra eos Concilium Vaurum indixere. Arn. Arch. Narbon. ordinarius interea legatus manebat.

§. 7. Longior narratio fieret, si omnes enumerare vellem, quosdam igitur celebriores notasse sufficiat: Ap. Thuan. l. 6. p. m. 288. GuidoPerpinianus Ep. Lodevensis, (edit. Genev. Elnensis) inquisitionis mun⁹ in eos exercuit. Bzov. ad an. 1234. n. 24. memorat. Fr. Guilhelm. Arnaldi & Fr. Petr. Seilanum ad Tolosates, ad Insubres Fr. Rolandum Cremonensem pro inquisitoribus missos. Anno 1270. n. 14. laudat Petrum Caderitam & Guil. Colonicum Dominicanos in Arragonia, ut & Raym. Pennafortium. 1380. Franciscus Borrelli Franciscanus persecutionem in Delfinatu & Provincia excitavit. 1460. & seqq. Joh. Veileti Francisc. minister crudelissimi Archiep. Ebrodunens. etiam contrà Ludov. R. literas securitatis diris modis eos exagitari fecit. Anno 1488. Alb. de Capitaneis Archid. Cremonensis etiam multa in eos horrenda patravit. & 1489. quem reliquerat post se Fr. Ploireri Franciscanus. In Germ. 1230. Conrad. Marpurg. inquisitor magnam apud suos laudem retulit ob sævitiam, & par illi Eccardus: qui tamen hunc fructum indè retulit, ut converteretur, & Heidelbergæ ipse quoque fidem morte ignis subsignaret. In Bohemia ann. 1347. Ernest. Archiep. Pragens. Pontificia authoritate Imp. Carolo IV. persuasit, ut omnes hos Pontificiæ potestati contrarios Ecclesiastico judicio traderet: pileum Cardinalitium eo officio promeritus. Ejusdem successor. Jo. Genzensteinius 1376. ab eodem Carolo edictum acre contra Bulgaros obtinuit.

§. 8.

§. 8. In Wiclefi historia præcipui ejus inimici memorantur WILH. CANTVARIENS. ARCHIEP. & hujus successor THOM. ARVNDELIVS & plerique alii ex Episcopali ordine. Inter doctos stylum contra VViclefum quinam acuere, simul enumerat Bzov. T. 15. ad ann. 1415. n. 58. Locum vide.

§. 8. Contra Hussum potissimum egere post PROFESSORES PRAGENS. GERMANICOS, ZBINKO DE HASENBERG. ARCH. PRAG. CARDINALIS COLVMNA, AQVILEIENSIS, VENETVS, A PAPA dati Judices. MICH. DE CAVSIS, M. STEPH. PALEZ, M. STANISLAVS DE ZNÆM. IN CONCIL. CONSTANT. contra eum IV. Commissarii electi, Episc. Ragus. Episc. Flebens. M. Ursinus Zalvenda, M. Guilh. Comes: P. de Aliaco Card. Camerar. etiam satis virulentum se ei præbuit.

§. 10. Superiori seculo VValdensibus infestissimi fuere Arelatensis & Aquensis Episcopi, qui pecuniam etiam in belli usus promisere Cassanæo Præsidi Senat. Aquens. si armis adoriri voluisset Merindolianos ap. Thuan. l. 6. p. 292. Sed & Card. Turnonius, privata tamen è causa non pessimè tantum eos odit, sed & faces ap. Franc. Rodio eius subdidit p. 295.

§. 11. Hi itaque eorum hostes, quibus potuere modis miseros exagitarunt: censuris conta eos publicatis, populo ab ipsis alienato, criminibus variis afflictis, prout exempla in proclivi sunt, & infra plurima adducentur, doctrina eorum horrendis in modis depravata, & ita publicè proposita; (Petr. Suav. Hist. Conc. Trident. c. 1. p. 3. dicit *Waldenses Alpinos impietatis, obscœnitatisq́ odio apud vicinos adeò prægravatas, ut periculum non esset, ne contages ad eos transiliret*) Inprimis verò in Magnatum odium eos adducere omnibus modis tentarunt: Scripta ipsorum oppressere, combussere, ne qua ratione inter alios fructus ferre possent, & quæ similes machinationes mille fuere, quibus præcipuè in examine eorum usi sunt. vide Chron. VVald. c. 8.

Hostes seculares. §. 12. Unde quid mirum PRINCIPES SECVLARES, cum horum tantum vidissent oculis, tam atrocia contra eos decrevisse. Quis non oderit eos, quales repræsentantur optimi hi homines calumniis hostium (Sect. 3. §. 5.) rebelles DEO & Principibus, omnis boni ordinis contemptores, impurissimi, μισάνθρωποι, blasphemi, & tanquam cauterio naturæ notati essent monstrosi. Tales verò credebantur vulgò Unde Art. 3, §. 6. aliquot exempla (quod remiserint etiam Principes à sævitia, cum rectius cognovissent. Friderici II. Imp.

con-

Constitutio nota. Inter Galliæ Reges potissimum eos persecuti *Philippus Augustus, Ludovicus IIX. Lud. IX. Philippus pulcher.* Apud Anglos Henricus II. Apud Aragonios decretum contra illos Regis Aldef. extat in T.13. Bzov. ad ann 1199.38. In Bohemia R. Johannes n.1330. infestior fuit. Qui deinde apertis armis post Hussi tempora impugnaverint, in historia illorum temporum facilè videre licet.

§. 13. Vix autem quisquam æque magna damna intulit, quàm SIMON MONTFORTIVS, *quem, uti Leopoldum Austriacum in Germania, Innocentius III. sacro contra illos præfecerat bello.* Thuan. l. 6. plures hoc Duce contra illos susceptæ expeditiones cruciatæ, inque iis multa fidelium millia crudelem in modum habita. Legatur vel ipse Bzov. T.13. ad ann. 1213. n.1. ann. 1213. n.7.8 ann. 1218. n.3. 1219. n.3. 1227. n.8. & nihil apparebit, quod defuerit ad extremam crudelitatem. Add. Boxhor. Histor. univ. p. 710. 720 773. Qua ratione illorum persecutionem annis 350. ex Apoc. 12. 6. 13. 14. & 13. 5. ubi 1260. dierum mentio definiat, & ab anno 1167. ad 1517, extendat, vide ap. ipsummet Marnix. Aldeg. Tabl. de diff. de la relig. P.3. c.12. p.151. Omnium persecutionum catalogum non nectam, sed Lectorem ad Chron. *Wald.* quod pluribus capitibus illas recenset, remitto; præsertim cum multi quoque alii, quod ad argumentum sufficere potest, tractaverint. Eam quæ ante seculum Lufernenses in pedemontio vexavit, Thuan. l. 27. diligenter executus est, & anteriorem Merindolianam. l. 6.

ARTICULUS II.

EXERCITIA ET ARMA SACRA.

§. 1. Quantus hic hostium numerus? sed videamus etiam, quæ opposuerit Ecclesia hæc aciei tàm terribili. PRECES primo loco ponentur: Bellaius apud Thuan. l. 6. p. m. 293. *DEI cultum assiduis precibus & morum innocentia præ se ferre,* ait. Ebrard. c. 25. antihæres. p. 185. hoc perhibet testimonium: *in legendo Evangelium, in colendo Dominicum diem, in jejunando, in orando nobiscum estis. Sola fides, quæ maior est, à nobis vos sequestrat.* Emphatica sunt, quæ ipsi in oratione excusat. ad R. Uladisl. p. 84. D. *Arma tuendi nulla nobis sunt alia, quàm desideria cordintima orationum nostrarum, ad DEUM protectorem validum semper missa, quatenus facilem vobis mentem, animumq; humanum* Preces.

tribuat

tribuat suâ virtute, inflectatq; ad nos homines ignominiosè contumeliâ affectos &c.

Vitæ Sanctimonia. §. 2. Accessit ad has VITÆ SANCTIMONIA insignis. Quod eorum ministros speciatim attinet, illustre hostis testimonium extat Autoris incerti in ref. error. Wald. quem Grezer edidit pag. 336. C. *Quia vident in pluribus Presbyteris Ecclesiæ mala exempla, superbiæ, avaritiæ, incontinentiæ, ebrietatis, rixæ, iracundiæ, invidiæ, & aliorum vitiorum. Ideò plus credunt suis hæresiarchis, præbentibus eis exempla bona humilitatis, largitatis, castitatis, sobrietatis, pacis, amoris, mansuetudinis & aliarum virtutum &c.* Quinimò adeò exegere vitæ innocentiam ab antistitibus suis, ut eo ipso *Donatismi* postulati sint. Æneas Sylvius alicubi lenius loquitur de illis ap. VVolff. Lect. mem. ad ann. 1160. p. 301. dixisse: *Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem.*

§. 3. De universis Reinerus c. 4. p. 299. disertè dicit: *Magnam habent speciem pietatis, eo quod coram hominibus justè vivant, & benè omnia de DEO credant &c.* Quodnam illustrius autem testimonium dari posset, quàm eiusdem Reineri c. 7. p. 307. *Hæretici cognoscuntur* (itaque in eo à bonis Catholicis differunt) *per mores & verba. Sunt enim in moribus compositi & modesti. Superbiam in vestibus non habent, quia nec pretiosis, nec multum abiectis utuntur.* Et paulò post: *Casti etiam sunt, maximè Leonistæ. Temperati etiam sunt, in cibo & potu. Ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab irâ se cohibent: semper operantur, vel discunt vel docent &c.* Quid ad hæc adversarii? De Fr. Bohemis hæc Jacobus Liebenstein Dominicanus ap. Usserium de Eccl. Christ succ. & stat. c. 6. p. 187. *Dico* (inquit) *quod in moribus & vita boni sint, veraces in sermone, charitate fraternâ unanimes; sed fides eorum est incorrigibilis & pessima.* Ebrard. antihæres. c. 25. p. 180. *Aliter hypocritæ non essetis, nisi quædam bona prætenderetis opera, de quibus mercedem recepissetis.* Ita nihil erat, quod ipsorum vitæ inculpatæ obverterent, quàm putidam hanc hypocriseos calumniam. Quis innocens, si accusasse sufficit? Quin imò tantum abest, ut eam in dubium vocare potuerit Ebrardus: ut cap. 16. p. 135. & cap. 23. p. 166. illis propterea tribuat, tanquam per bona opera, non per fidem salvari voluerint. Ipsi confidenter coram hostibus profitentur ap. Thuanum l. 27. p. 1214. *Omnem à se & suis cœtibus iniquitatem eliminare &c.*

Quin

Quin imò ap. Radulph. Cogeshalens. Monach. Anglum in Histor. MSc. (quam exscripsit Cl. Boxhorn. Hist. univers. p. 717. 718.) cum puella adolescenti lascivo respondisset : *Nunquam velit DEUS, O bone adolescens, ut tua amica sive alicujus hominis existam ! quia si virginitatem amisissem & caro mea semel corrupta esset, æternæ damnationi proculdubio, absq; omni remedio subiacerem. Quod audiens Magister Gervasius, intellexit protinus, hanc esse de illa impurissimâ Secta Publicanorum &c.* Bona sc. mansisset catholica, si impuris desideriis nebulonis morem gessisset. Quin teste post alios Marnixio Aldeg. Tab. de diff. relation. P. 3. c. 12. p. 159. communiter appellati Les bonnes hommes, *boni homines, ob sinceritatem & simplicitatem, quâ in omnes utebantur.* Etiam Dn. de Heillan (Histor. Franc. l. 10.) qui quoad doctrinam extremè eos calumniatur, hoc tamen verum perhibet testimonium, quantùm eorum vitam attinet : *Quamvis habuerint pravas opiniones, non tamen eas tantum Papæ & Procerum contra eos odium excitasse : quantum excitavit libertas linguæ, quâ usi sunt in reprehendendis vitiis, & dissoluta Principum ac Ecclesiasticorum vitâ ; item in vituperandis vitiis actionibusve Papæ : ita ut hoc punctum primarium fuerit, quod eos odio universali exposuerit, oneraritq; pessimis opinionibus, quas nunquam habuerunt.* confer alia ipsorum innocentiæ testimonia in Catalogo Test. ver. l. XV. p. 1523.

§ 4. Quisque in sua VOCATIONE DILIGENTEM navabat OPERAM. Sæpius jam in testimonium vocatus Bellaius ap. Thuanum l. 6. p. 293. multa ad Regem retulit, quæ vide : Concludit : *Patientissimos eos laborum & inediæ : à litibus abhorrentes, erga egenos munes esse.* Ebrard. c. 22. Antihæres. p. 161. ingens convitium facere vult, quando dicit : *Ecce! quod victum, vestitum, mirâ cum sedulitate quærtis.* Ita invitus laudat ; indè operosè multa comminiscitur, ut probet, eos præter regulas Christi & Apostolorum fecisse, quod non omnia reliquerint, & inter se communia habeant. Ab avaritiæ suspicione eos liberat Reinerus c. 7. p. 307. *Divitias non multiplicant, sed necessariis sunt contenti.* Post paucas pagellas (idem Ebrardus c. 25. p. 175. seq) otiosos eos & mendicos facit, contra illam mendicitatem disputans. Pudeat propria cæcidisse vineta. *Nullos mendicos æquali omnium paupertate habere.* Thuan. l. 27. p. 1211. fatetur. HOSPITALITATEM eorum erga fidei socios, Ivo hostis non potest non agnoscere & prædicare, ap. Grezer. Proleg. ad script. Wald. c. 3. p. 289. H. ex Matth. Paris. Queritur Ebrard. Antihær. c. 10. p. 118. *Nulli benefa-*

Diligentia in vocatione.

Hospitalitas.

I 2 *faci-*

titis, nisi tantum domesticis vestra nequitia: Quod repetit c.12 p.165. Quid vero mirum in summâ paupertate eleemosynas illos parciùs aliis potuisse exhibere, qui plurimos domi suæ haberent opis egentes? Apostolus pro illis loquitur Gal. 6. v. 8. Patientia in cruce insignis, & quæ hostibus quoque admirationem expressit. In Orat. excus. ad R. Uladislaum p. 82. b. illa profitentur: *Viam arctam, tristem, irrisam maluimus eligere, quam ipse redemptor Christus, Ecclesia deniq; sponsa ejus à mundo damnata abjectaq; vestigia Christi signata ambulavit &c.*

Patientia.

§. 5. Disciplina etiam Ecclesiastica suo vigore stetit. Undè B. Philipp. Melanchton in epistola ad eos scripta ann. 1535. parem severitatem nostris optat; eamque defendit Facult. Theol. VViteberg. in judic. de iis Anno 1573. Si per Reinerum staret, fortè excomunicationis usum nullum inter eos fuisse, videri posset: Nam c. 5. p. 300. H. ita dicit: *Excommunicationem contemnunt, & absolutionem non curant.* Rursus anonymus, quem edit. Grezer. p. 338. attribuit: *quod non liceat Prælatis excommunicare.* Prælatos tamen hic pro Pontific. Prælatis, qui soli hoc nomine propriè venerunt accipiendos, docet Index err. quem edidit Jesuita n. 17. p. 341. ubi: *excommunicationes seu Papæ seu aliorum Prælatorum nihil omninò curant nisi suorum superiorum.* Magnâ interea prudentiâ & cautione in opere hoc ponderosissimo versabantur.

Disciplina Ecclesiast.

§. 6. Si verò ea arma videnda sint, quibus potissimum adversus hostes publicos, & qui palam adoriebantur, usi: ante omnia eorum Doctrina & Eruditio commendanda, etiam ingratiis Grezeri Proleg. ad script. VVald. c. 6. p. 292. E. Quod forte Latina plures ignorarunt, (ut allegat Grezerus) non ideò Idiotæ sunt. Haud sanè refrager, primos VValdi discipulos plerumque literarum ignaros fuisse. Ap. Thuan. l. 6. p. 289. Priusquã videl. à Waldo instituerentur, *ita tamen eos erudiit, ut ei collegæ esse, officioq; docendi rectè fungi possent.* Jo. VVolff. Lect. mem. Ann. 1168. p. 380. Et non rarum in Ecclesiæ statu cumprimis perverso, Deum eos usurpasse, qui planè indocti. Amosus à sycomoris & armentis ad Prophetiæ munus accersitus. Multò minus illi rejicientur, qui quamvis in primâ ætate literis non operam dedere, postea tamen etiam durante ministerio plus profecere, quàm alii, qui in Academiis educati. Pilichdorf. c. 35. p. 331. *studia privilegiata ab iis reprobari dicit.* confer. Index Error. edit. à Grezer. p. 341. B. Sanè uti tùm erant, Antichristi potius quam Christi studiosæ:

Doctrina & Eruditio.

Simpli-

Simpliciter enim Academias saltem VViclefus intelligere non potuit, Collegii Oxoniensis Professor, cui tamen etiam trib. ap. Bzov..

§. 7. Cæterum eruditionis illorum manifesta plura sunt testimona, si Cl. Hottingeri Hist. Eccl. c. 12. Sect. V. n. 7. p. 287. ordinem sequamur. (confer. Jac. Usser. de Christ. Eccl. succ. & statu c. 8. p. 264.) 1. Cleri ignorantia calcar VValdensib. addidit ad magnos suscipiendi conatus, vid. Supr. Sect. 1. artic. 2. §. 7.. 2. VVernerus Fascic. temp.. p. 78. per subtilissimos hæreticos dogmata VValdensium defensa dicit, qui hi alii quàm literati?. 3. Nec studium scripturæ invalidum præbet suffragium.. De VValdi versione propria dictum Sect. 1. artic. 11. §. 5. & 10.. In lectione vix alios habuere superiores. Rain. c. 3. p. 299. C. *Audivi & vidi quendam rusticum idiotam, qui Iob recitavit de verbo ad verbum: & plures, qui totum N.T. perfectè sciverunt* : & paulò post c. 5. p. 300. H.. *N. Testamenti textum & maximam partem veteris vulgariter sciunt corde.* Radulph. Cogeshalensis Monach. Angl. in hist. MSc. ap. Boxhorn. H. univers. p. 717. seq. duarum mulierum meminit, quarum altera Magistra alterius, ab Archiepiscopo Rhemensi examinata & impugnata; *omnes auctoritates prolatas quadam sinistra interpretatione pervertebat, ut satis patenter cunctis innotuerit, spiritum totius erroris per os ejus fuisse locutum : ad omnes siquidem auctoritates & historias tam V. quam N.T. tam facilè tam memoriter respondebat, tanquam omnium scripturarum notitiam esset adepta &c.* vide locum.. Si ille ardor legendi, ac, ut ibidem Rainerus dicit, *noctè & die docendi & discendi inter plebeios*, quid sperari de Pastoribus eorum potuit? Nullus admittebatur ad ministerium, nisi qui Evangelium Matthæi & Johannis, omnes epistolas & magnam partem scriptorum Salomonis, Davidis, & Prophetarum memoriter nosset. Chron. VValdens. c. 3. p. 15. seq. linguarum quoque peritia in iis egregia reperiebatur. vid. Chron. VVald. d. l. Accedunt 4. scriptis eorum Elenchtica, didactica, moralia, catechetica : quorum vide Catalogum ex Perrino ap. Hottingerum d. l. p. 288 confer. Marnix. Aldeg tabl. de differ. Relig. P. 3. c. 12. p. 152. Ubi libros in Bibliothecâ Jos. Scalig. Domini de S. Feriol. ministri Arausi. & aliorum ministrorum Waldensium exstare scribit.. Ad Germanos notitia eorum exigua devenit.. De versione Bibliorum ab iis facta in Gallicam linguam, meminit Innocentius III. epistol. ad Metenses apud Grezer. in marg. ad Reiner. c. 3. p. 299. C. Ex quibus omnibus satis

 lucu-

luculentum est, quid de eorum eruditione judicandum sit, ac verum dixisse in sua Confess. quam B. Lutherus edidit ann. 1533. *Non edimus artes liberales (quanquam in academiis (à quarum ingressu excludebantur) operam literis non dederimus) sed amamus, præsertim illas, quæ ad veritatis propagationem, ad erroris oppressionem aut alio modo ad commune bonum conducunt.* Itaque post alios & cum aliis malitiosè mentitur Alf. à Castr. l. 10. p. m. 277. b. ubi dicit: *Waldenses fuerunt homines idiotæ & prorsus ignorantes: quapropter verisimile est, eos nescisse, quid sit miraculum.* Fortè quia hæccæitates & quidditates, ac alias gerras Scholasticorum nauci fecere. Sed nec illa sibi constant, quæ Reiner c. 1. p. 298. H. *Omne genus hominum habet fidem nostram sc. Philosophorum, literatorum, Principum: Sed hæreticorum pauci: & hoc tantum pauperes & opifices, mulieres & Idiotæ.*

Disputationes. §. 8. Speciatim verò inter media, quibus veritatem propugnare soliti sunt, DISPUTATIONES primo loco esse possunt. Ita Disputatum ad Viride folium, semel & iterum Apamææ. Wolff. Lect. memorab. ad ann. 1160 p. 382. Addit Disp. etiam esse in Civ. Versell. & Andvicæ. Marnix. Tabl. de diff. P. 3. c. 12. p. 113. Celeberrima fuit MontRealis propè Carcassonem ann. 1206. habita, quæ XV. dies duravit. A parte Pontiff. deputati erant Petrus Castelnovius Leg. & Monach. Cisterc. Rudolfus etiam à Papa missus, Didacus seu Jacobus Episc. Oxoniensis, & Canonicus eius Dominicus (qui primi ordinis Jacobin. seu Dominic. authores) Ex parte Albigens. qui fuerint Sect. 1. art. 2. § 19. habuimus. Thema propositum: quod Ecclesia Romana non sancta, neque Sponsa Jesu Christi sit, sed Ecclesia diaboli & Babylon Apocalytica. Marnix. Aldeg. Tab. de Diff. relig. P. 3. c. 12. p. 153. Alius rursum disputationis mentionem facit Bern. Abb. Font. Calid. præfat. p. 4. qua sub judice electo Raym. de Daventria Sacerdote sententias contulere: Ita non veriti sunt unquam in publicum produci aut periculum veritatis suæ fieri. Disputatio enim Merindolii instituta, autorit. Episc. Cavalionensis, in qua Monachus Theologus ipsiscum commissus: qui fassus, non aliàs se plura è Scriptura S. didicisse. Alius Sorbonicus negare non potuit, *plura se è Catech. Waldensium profecisse, quam disputationibus Parisiorum.* vid. Chron. VVald. c. 3. p. 21. Sed & alia admodum celebris fuit, cum anno 1431. in vigil. Phil. & Jac. in Collegio Carolino Pragæ, Joh Lucavviz cum Taboriensibus adversus M. Jo. Rokezanam, & Sacerdotes & Magistros Pragen-

Pragenses disputaret. vid. Balth. Lyd. VVald. T. 1. p. 1. Quin adhuc superiori seculo, cum diploma contra eos in senatu Aquensi recitaretur, supplici libello petiere, ut *causa denuò cognoscatur, & vocatis Theologis res in disputationem deducatur: Iniquum quippe esse, ut antequam convicti fuerint, se hæreticos fateantur, aut inauditi damnentur.* Thuan. l. 6. p. 294.

§. 9. Præterea Apologiæ ab istis scriptæ complures: licet paucæ tantum ad nos devenerint. Adhuc extat ipsorum oratio excusatoria atq; satisfactiva ad R. Uladisl. Ungar. Inde alia responsio excusatoria ad binas literas D. Augustini ad Regem scriptas: in qua etiam alterius apologetici (ut describere videntur) tractatus, quem jam veteres Bohemi scripserant, mentionem faciunt. Extant hæc in fascic. rer. expet. ac fug. Ortv. Gratii anno 1538. Cum approbatione B. Lutheri apologiam obtulere Georgio M. Brandeb. quæ extat in VVald. Balth. Lydii. Tom. 1. Varia scripta Apolog.

§. 10. Apologiis accenseri possunt eorum Confessiones publicè propositæ. Ita Regi Uladislao inscripsere confessionem, quæ etiam in fascic. rer. expet. legitur. Sic & Francisco R. Galliæ aliquam obtulere. Thuan. l. 6. p. 294. Aliquam B. Luth. ann. 1533. cum præfatione & encomio edidit.

ARTICULUS III.

CHRISTI VICTORIA ET TRIUMPHUS.

§. 1. Exercitus, arma, Conflictum vidimus. Ex utra parte victoria steterit, non erit longè quærendum: Dominus exercituum mille myriades uno difflat halitu. Christus regnat, vincit, triumphat. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31.

§. 2. Fuit autem victoria Christi non uniusmodi, & prout regnum eius de hoc mundo non est, neque externum amat splendorem, carnalibus oculis non æque conspicua, nec tamen minus vera: Sicut in prima quoque antiquitate, quando superata videbatur Ecclesia, Christus gloriosissimè in eadem triumphavit.

§. 3. Vicit Christus in ipsa propagatione et diffusione sanioris doctrinæ, quam contra quasvis adversariorum artes atque molimina obtinuit. Miraculo non caret, VValdum eosque qui ipso cum fuere, saltem eruditione profana, & coram seculo speciosa non instructos, exiguo temporis spatio tantam multitudinem ad se Victoria Christi in doctrinæ diffusione.

perdu-

perduxisse. Nulla quę cogeret vis erat, erat verò quę retraheret. Nulla persvasio carnalis, quandoquidem ad crucis viam ineundam ista nunquam sua sponte dirigitur. Ipsa dogmata ubique exosa, carni non blanda (qualis hæc Pontif. sententia, si quævis flagitia in quibus ætatem exegeris, paucarum ceremoniarum externâ observatione & nonullo ære redimere liceat) sed ob persecutionum procellas, quas undique contra se excitatum iri prævidebant, summè invisa, & terribilia. Ecclesiola illorum, si cum amplitudine & splendore Rom. comparaveris, nullius planè speciei, quæque nulla haberet externa auctoramenta, quibus alliceret. His tamen non obstantibus certatim alii aliique accessere, & paupertatem Christi prætulere Ægyptiorum divitiis. vid. Sect. 1. Art. 2. §. 10. seqq.

» conservatione. §. 4. Nec CONSERVATIO ejus minoris res momenti fuit. Conjuraverat in extirpationem sectæ sibi adversæ, propè dixerim, Europa tota, ut §. 11. art. 1. vidimus. Pontifices appellasse sufficit, quia illorum stipendiarii in persecutione horum cogebantur esse Principes. Si humanis tantum consiliis agendum fuerat, brevi extincti fuissent, inopes, impotentes, & quod primum est, sine politico capite, quod universalem curam eorum suscepisset. At divina impotentia omnibus illorum viribus erat fortior.

excitando » nov. Heroas. §. 5. At non tantum conservavit suos Dominus, sed subinde, ubi periculum erat, ut paulatim succumberent reliquiæ hæ sacræ sed latentes, excitavit novos HEROAS, qui coram orbe denuo comparerent, & professione publica facerent reliquis animum, ac de divina sui cura redderent certos. Imò qui ipsa illa arma, quæ apud adversarios acceperant, verterent contra illos. Nam Waldenses hi extra academias manere coacti, ut quicquid ingenii esset longo corrumperetur situ: itaque Wiclefis & Hussis opus fuit, qui è Philistæa adferrent arma, ut resisti commodius posset hostibus. confer. 1. Sam. 13, 19, 20. Demum etiam B. Lutherum, tertium prioribus multo majorem Heroëm, cumque hôc quam plurimos alios prodire jussit, qui denuo excitarent dormitantes, aut laborantes confirmarent.

» Magnos Fautores. §. 6. Aliud curæ divinæ circa eos monumentum fuit, quod sæpius potentissimus ille cardiarcha non tantum apud alios GRATIAM illis largitus est, verùm etiam ipsos arcanâ vi eo perpulit, ut faverent, quos si per ipsos stetisset, vatiniano erant persecuturi odio. Recensuimus aliquos eorum fautores S. 1. art. 5. §. 30. sed multo plures adferri possent si colligere vacaret è scriptis. Huc eximia

illa

illa ipsorum INNOCENTIÆ TESTIMONIA, quæ obtinuere ab hostibus: quorum aliqua hinc inde jam attulimus. De Lud. XII. confessione, vide Sect. 3. § 9. & Boxhorn. *Hist. univ.* p. 716. Franciscum I regem Gall. quod approbasset Aquensis Senatus contra eos crudelitatem, postea pœnituit, & in ultimis mandatis, quæ filio dedit, id quoque fuisse memorant, ut de iniuriis istis quæri juberet. Thuan. l. 6. p. 298. Jac. Sadolet. Ecclesiæ Rom. Card. præcipuus fassus est: *se eis bene velle, minimeq; ex animi sui sententia futurum, si cum his hostiliter ageretur.* Thuan. l. 7. p. 294. Trinitensis Comes contra illos missus, testatur, *Principem (Sabaud.) divinitus monitum, cum ipsis mitius agere decrevisse:* & imprimis favorem Ducissæ in eos commendat. Quin & persecutores per ipsosmet conversi. Eccardus Monachus ipsorum inquisitor & persecutor demum conversus, martyrium Heidelbergæ subiit.

§. 7. Alia quoque contigere, quibus subinde à suis arcuit hostilem violentiam DEUS. Ita cum ingens exercitus contra eos collectus, inque eo res esset, ut extremum ictum illi præstolarentur, DEUS, qui novit suos exaltare de portis mortis, inopinatum immittit DISSIDIUM inter Principes exercitus cruce signati, Duc. Burg. & Com. Nivern. ut hic, mox etiam ille discederent cum copiis; Montfortius autem jam debilior, languidius administrare bellum cogeretur. Boxhorn. Hist. univ. p. 713. Sic etiam bella, quæ Regibus Galliæ cum Anglis & Burg. intercessere, aliaque domestica, freni instar fuere, quo divina pronæa eos detinuit, quo minus ad profligendos Waldenses omnem impetum converterent. Ita halcyonia sua constitere Ecclesiæ. conf. Boxh. p. 715. Lud. IIX. cum post Avenionenses oppressos Albiam etiam pergeret, morte impeditus est. Thuan. l. 6. p. 291. Apud eund. l. 27 p. m. 1227. Dux belli, Trinitensis Comes, fatetur: *nunquam se ignaviorem militem expertum esse, quam tunc contra Waldenses.* Dissidium inter hostes

§. 8. Præterea nec impune fuit hostibus, Christos DEI læsisse; sed passim luculenta divinæ justitiæ contrà persecutores judicia consignata videmus. Agnoscit illam Thuanus l. 6. p. 298. in Jo. Romano Monacho, qui novum tormenti genus invenerat contra eos, sed inter tormenta demum diu frustra mortem optavit. In Jo. Minerio Oppeda Senat. Aquens. Præside, & executore sententiæ contra Merindolianos. pag. 299. cum dicit: *Crudelem animam inter crudelissimos* Hostes mulctando.

 delissimos

delissimos cruciatus exhalavit, & meritam pœnam, quam judices non exegerant, serius, sed eo graviorem DEO pependit. In Ioanne Martino Tronbantio l. 27. p. 1214. In Sebast. Virgilio, exploraturo Sabaudiæ, an Waldensium causa esset justior. p. 1227.

»Passione & martyriis: §. 9. Sed non his tantum victoria DEI, aut Ecclesiæ, constabat, sed cumprimis etiam IN PASSIONE, nam occumbendo superior illa fit. Huc jam innumera MARTYRIA, quæ ab hostibus suis optimi viri tulere, faciunt. Requisita martyrum adfuere omnia, quæ Vener. Dn. Præses Christeid. Act. 1. Opt. Dram. Theatr. 3. Ph. 2. p. 628. recenset.

§. 10. Nomina illorum recensere, nec brevitas nostra permittit, nec seculi ingratitudo, cum pleraque interciderint. Numerus eorum qui in Linguadocio, Delfinatu, Provincia & Pedemontio, partim particularibus suppliciis confecti, intra aliquot secula, exprimi nequit: viderique possint hinc inde descripta & Integra bella & mortes aliorum. Indicis loco Chron. VVald. quod aliquoties prodiit, poterit fungi.

§. 11. Nec alibi in Gallia cessatum: in ipsa Parisiorum civitate multis igne absumtis. Anglia quoque non paucas victimas fecit. Habet & Italia, qui in eundem censum occisorum referendi. In Calabria, Genevæ, Ferrariæ, Romæ, nec minus in German. Austria, Alsatia, Trevirensi Archiep. Palatinatu, Eichstet. Episc. Moguntiæ, Saxonia, Pomerania, March. Brandeb. & alibi multi arsere. Argentinenses Martyres describit MSc. Chron. Argent. quod in archiv. Reip. asservatur, & ex quo supr. cit. Nob. Dn. BERNEGGERO excerpta nonnulla debemus, quorum hinc inde mentio jam injecta. Ibi enim 80. (vid. Sect. 1. artic. 3. §. 9.) constantes permansere, & frustra eorum constantiam expugnare conatis tum Judicibus, tum cognatis, ad rogum ob veritatem se duci passi sunt.

§. 12. Illustrissima exempla sunt Johannis Hussi & Hieron. Pragensis, qui qua sint habiti iniustitia à Patribus Constantiensibus, dudum per alios innotuit: pro relatione brevi sufficere possunt, quæ leguntur apud Aventinum, & ex hoc ac martyrolog. Boh. Boxhorn. Hist. univ. p. 911. seq. Nec non Zach. Theob. Hussitenkr. p. 1. capp. pluribus, potiss. 20. & 25. Quo etiam commune de prophetia Hieron. Pragens. quod post seculum adversarii sibi rationem reddituri sint, (quam Husso transscripsere) errorem refellit.

SECTIO

SECTIO III.

VINDICIÆ CALUMNIARUM.

§. 1.

QUid non de Judæis & eorum religione gentiles ex ignorantia & malitia alii prodidere? In V. primitiva Ecclesiâ nihil magis Christianos pressit, quàm ea calumniarum atrocitas, quâ factum, ut Christiani nomen publico consensu ad supplicium sufficere crederetur, ob tàm enormia, quorum rei acti sunt, flagitia. vid. Tertull. Apol. c.7.8.9. & 16. Justin. Mart. Minut. Felic. & Excell. Dn. D. Dannh. Christeid. Act. 1. p. 566. Vix ac ne vix quidem tot apologiis satisfieri potuit, maculæ, quam illi inussere, delendæ. Eandem postea fabulam lusit antiquus impostor, artium harum autor, quoties aliqui aletheæ heroes excitati, metum ipsi incusserant: fore, ut pluribus sua probarent. Superiori seculo, Lutheri reformatione invalescente, qui calumniarum acervi congesti, & quod in orbe maleficium, cujus non poscebamur? conf. Caroli V. decret. in lib. des ordonañes & edicts de l' empereur. Charl. & Roy Philipp. impress. Gandav. cit. Marnix. Aldeg. Tab. de diff. Rel. P. 3. c. 12. p. 153. Confer. illustre exemplum calumniæ ex male intellecta aut malitiosè dissimulata thesi, & inde deducta consequentia ruinosâ, ap. Sleidan. l. 7. p. m. 179. cui multa gemina subiungentur inferiùs.

Calumn. exempla in prim. Eccles.

§. 2. Et mirum hoc nemini videri debet, quando inter pias fraudes illud referri meretur, & quia curiæ Romanæ proficuum, à merito non procul aberit Jesuitis jam id principium: *sine salutis jactura falsa de inimicis crimina posse confingere, ut & Caramuel, esse probabile, non peccare mortaliter, qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam & honorem defendat.* Quæ Jesuitis nuper exprobravit & demonstravit Lud. Montalt. in Epist. provincial. 15.

Nec mirum in Iesuit.

§. 3. Sane quicquid poterat hâc arte præstari contra Waldenses experti sunt: Quos ut merito ames, ita non nisi, qui diabolico sit animo eos diligere poterit, qui sub ea specie, qua ab adversariis solent produci, eos intuetur & fidem adhibet. Optaremus quidem plura extare è seculis superioribus monumenta, quæ Waldenses scripsere, ne ex solis hostibus præsidium causæ cogeremur sumere. Cum tamen eorundem adversariorum crudelitate effectum est, ut rariora supersint, vel in hoc divinæ providentiæ curam agnoscere erit integrum, quod ex iis hostibus illa suppetant, quæ sufficiunt defendendis, ne succumbant, & merito tales credi possint.

Calumniæ adverſ. Wald. variæ. §. 4. Sunt verò quæ affinguntur illis in multiplici differentia, alia DOCTRINAM, alia MORES concernunt. Rurius alia eiusmodi mendacia ſunt, quæ nec veri aut probabilis ſpeciem habent, alia colore nonnullo pinguntur, ſeu quod malè detorqueant benè dicta, ſeu quod certa hypotheſi poſita ad generalem theſin extendant, ſeu quod conſequentiis malè ſarcinatis abſurda illis impingant, prout exempla quam plurima ſingulorum adduci poſſunt.

Teſtimonia Adverſar. generalia. §. 5. Antequam autem ſpecialem enumerationem calumniarum in doctrina accedam, operæ pretium erit, aliquot teſtimonia generalia adverſariorum in ſubſidium eorum innocentiæ producere. *Raineri* teſtimonium S. 1. art. IV. fuit productum. *Samuel Caßinenſis* Monach. ſcribit, omne quod in erroribus VValdenſium refutandum norit, *eſſe, quod matrem Sanct. Eccleſiam negent*. Chron. VVald. c. 3. p. 18. Guid. Perpinian. ipſe inquiſitor fidei & Epiſc. Lodev. in florib. Chronic. cum particulariſſimè hiſtoriam *W*aldi recenſeat, nihil aliud attribuit, quam ea quæ reipſa non fluxere, niſi ex traditione Eccleſiæ & Papæ ap. Marnix. Aldeg. Tab. de diff. relig. P. 3. c. 12. p. 153. ubi etiam Marnixius oſtendit, omnes ferè antiquos in hoc convenire, nominatim *Anonymum nobilem*, qui bello contra ipſos interfuit, & rhythmis provincialibus hiſtoriam ſcripſit. Jac. de Riberia reg. ſecret. etiam non accuſat aliorum, niſi quod miſſam rejiciant, & quædam alia, quæ revera humanæ ſunt inventiones. P. Cluniacenſ. Abb. σύγχρον@ in ep. 1. & 2. ubi hoc agit, ut eos refutet, ſimiliter nihil reprehendit, niſi quæ de miſſa, transſubſtantiatione, cœlibatu Clericorum, crucibus &c. diverſa à Pontif. docuerint: nec minus Bernardus eiusd. temporis Monachus, licet fateatur, fando ſe accepiſſe, quod ſint hæretici, qui in conventibus ſcortationẽ exerceant, tamen Albigenſibus nihil imputare audet, quod non ad ordinationem Eccleſiaſticam referendum ſit: quin etiam Vinc. Bellovac. in ſpec. hiſt. l. 30. c. 24. autorem qui alias ſatis liberaliter mendacia & fabulas aſſerit, dum S. matris Eccleſiæ comodo ſerviant, adducit Marnix. d. l. iſte non conqueritur de aliis, quam quæ ipſimet ab Eccleſia in adverſariis impugnamus. Adde quod *Æneas Sylvius* & *Dubravius*, Bohemis tam tetros errores non impingant, facturi, quo erant in eos animo, ſi vera vel videri ſperaſſent. conf. Jo. VVolff. l. memor. ad an. 1160. p. 382. Petrus Pilichdorfius nihil attribuit, niſi de juramentis, quod comune quid habeat cum illis calumniis; Sic nec Index erroris, quem ſimul ed. Grez. præter illam de juram. dicam, & quod ſupplicia

plicia capitalia improbent, alias consuetas calumnias recitat. Nec plus exsculpseris (crimine de juram. etiam omisso) è modo exam. quem Grezer. ed. p. 342.

§. 6. Quid ergo fidei tribuemus aliis obscurioribus longè hominibus, quando tot mendaciis optimorum virorum fata proscindunt. Jac. Sadoletus Cardin. & Episc. Carpentoratensis, *vir pio & miti ingenio*, *quæ ultra ea capita* (quæ ultro illi confessi fuerant) *libro comprehensa de ipsis sparguntur, ad invidiam conficta, & meras nugas esse, ingenuè declaravit: id enim quæstionibus sæpè ea de re habitis sibi certo constare*, memorante Thuano l.6.p.294. Apud eundem p.293. Nic. Alenius Pontificius, Vir probus: oratione ad Barthol. Cassanæum Senatui Aquens. tum præsidentem, cum SCto VValdenses damnabantur, eius conscientiam appellat: *Scis ipse, quam multa iis calumniosè affinguntur, alioqui sedulis DEI cultoribus, iis & Dominis sua jura, Principibusq; & Magistratibus tributum & obedientiam præstare nusquam detrectantibus.*

§. 7. Sic & Thuanus p.298. (Vir cuius autoritatem & religionem satis vindicat Gramond. H. Gall. l.3. p.191. 192. acerbitate sua in hæreticos, quos vocat, meritus, ut ad dicendum in hoc argumento testimonium admittatur; de cætero illam in Thuanum iniquam suspicionem mendacii manifestam dicens; quæ vindiciæ necessariæ visæ, quod sæpius jam authoritate viri usi simus in hac disputatione) quando ex suo sensu ipse loquitur, enumeratis VValdensium articulis addit: *his præcipuis ac certis eorum capitibus alia afficta, de coniugio, resurrectione, animæ statu post mortem, & de cibis &c.*

§. 8. Et quid mirum, posteà calumnias lapsu temporum invaluisse, cum mox ab initio cœperint. Exemplum egregium Baron. Tom.XII. ad ann 1176. n.3. præbet, cum ex Rogerio de illorum judiciô acta describit; ex quibus apparet, etiam horrendorum eos criminum postulatos: ad quam accusationem initiò quidem respondere noluerint; posteà verò eam edidere Confessionem, quæ innocentiam satis probat. Rogerio videntur dixisse, *ideò quod convictos & confusos se cernerent.* Sed videtur illi, verba hæc non secum ferunt; potiùs ad plebem ita illi loquuntur: *Audite (O boni viri!) fidem nostram, quam confitemur: nunc confitemur autem propter amorem & gratiam vestram:* Quando scil. ejus doctrinæ, quam docuimus hactenus, sanè non quam nunc melius edocti ab Episcopo hausimus, publicam professionem, scandalum, quod accepturi essetis, haud amplius

permittit. Eum sensum esse, quivis, qui integrè legit, reperiet: atque adeò etiam eô tempore convinci non potuere, quorum arguebantur. Quin disertè quendam Joannem Pelegrinum appellat chronic. VVald. c.5. p.81. qui ut homines insontes calumniis oneraret, ab Ecclesiasticis est subornatus.

Pet. de Valle Sarn. prim. calumn. author.

§. 9. Inter authores harum calumniarum meritò refertur Fr. Petrus de Valle Sarn. Monachus Cisterc. in histor. VVald. quam dedic. Innocentio III. Ab hoc enim plerique alii mutuati sunt illa crimina. Cum tamen & alias ubique affectus suos exorbitantes monachus prodat, & mendacii confici ex omnium συγχρόνων parallelismô possit. Unde & Papyr. Masson. de cætero ipse quoque hostis Albigens. & in reliquis Petri ductum semper secutus, in Catalogo errorum Albig. ductorem deserit. Adde quod eius historia per translationem multum interpolata & corrupta, quod vel ex eô patet, quod secundo capite Calvinistarum mentionem faciat: quæ vide ap. Marnix. Aldeg. Tabl. de differ. relat. d. l. p. 152. Illustre exemplum calumniatorum isti edidere, qui Ludov. XII. R. Galliæ contra reliquias eorum in Provinciâ instigarunt, tanquam contra veneficos, incestuosos, hæreticos. Cumque hi legatos misissent ad Regem, aditu prohibituri erant, dicentes: *Iure canonico prohiberi, ne quis cum hæreticis communicet.* Quibus masculè Rex reposuit: *Etiamsi mihi in Turcam aut Diabolum bellum suscipiendum esset, eos tamen prius audire vellem*: Ita auditi sunt, & Evangelium, Biblia, Symb. Apostolicum X. præcepta, Sacramenta apud se vigere, docuere: Misit rex Adamum Finæum libell. supplicium Magistrum, & M. Parvum Dominicum, qui ipsi à Confessionibus; eam verò illi religionis & vitæ VValdensium rationem retulere: ut in hæc verba erumperet Rex: *Et me, & cætero populo meo Catholicô meliores illi viri sunt.* vid. Boxhorn. hist. univ. p. 715. seqq. Ita ipsi quoq; de calumniatorum suorum fraudibus conqueruntur, Orat. excusat. ad R. Uladisl. pag. 81. b. Et sanè ex collatione omnium apparebit demum, verum esse, quod iidem Confess. ad R. prædictum p. 85 D. profitentur: *Testamur coram Deo vivo, qui orbem terræ judicaturus est in æquitate, nihil nos unquam hæreticum, blasphemum, neq; in Deum, neq; in orthodoxam fidem, neq; in Eucharistiam corporis & sanguinis Christi; neq; demum in B. Virginem, nec prorsus in Sanctos Dei quicquam astruere blaterareq; reperti sumus*: Repetunt ferè eadem in excusator. ad eund. R. contra duas lit. Augustini p. 87. E. Ex quibus multa de malignitate hostium eorum colligere licet.

§. 10.

§. 10. Sed specimen capiamus falsitatum harum. Bzov. Annal. T.13. ad ann. 1199. agmen ducat; qui ita: *Non recipiebant LEGEM MOSIS, neq; Prophetas, neq; psalmos, neq; V.T. neq; DOCTORES N.T. nisi tantummodo Evangelium & Epistolas Pauli & VII. Canonicas Epistolas, Acta Apostolorum & Apocalypsin.* Idque calumniosè repetunt Mogunt. in Anticrocio p.226. locum vide. Cæterum Bzovii verba ultima quod attinet, aut ineptè miscent Doctores N.T. Ecclesiasticis, & qui extra scripturæ semper volumen mansere, (quo sensu non erit, ut reprehendamus illam particulam Doctrinæ VValdensium) aut longè ineptiùs negant admisisse N.T. cujus tamen singulas partes ipsis probatas enumerat; aut ineptissimè præter nostros canonicos etiam Apocrypha scripta, ipsis Pontificiis aliàs non recepta, tacite recipit. De eo, an V.T. rejecerint, nobis dispiciendum. Disertè Reiner. c. 5. p.300. H. dicit *N.T. textum & magnam partem V. vulgariter sciunt corde.* Utrique quod reprobant, non in eo habuerunt honore, ut ediscerent. *Iobum memoriter scivisse, Psalmis nomina imposuisse, idem author est. c.3. p.299. C.* Et hoc ex suâ experientia loquitur: ipse tamen mox sui oblitus, nescio quo vertiginis spiritu, p.299. D. reliquis videtur addere suffragium: *Quicquid Ecclesiæ Doctor docet, quod per textum* N.T. *non probat, hoc totum pro fabulis habet.* Ita sibimet ipse adversus est. Rob. Cogeshalensis. Mon. Msc. apud Boxhorn. Hist. univ. p.719. *Nullas S. scripturas recipiunt, Nisi Evangelia & ep. canonicas.* Calumn. de V. & N.T.

§. 11. Quid ergò dicemus, ut vel colore aliquo illorum mendacium tegatur? nisi fortè hoc dicendum: Ex eo, quod ritus & pompam V. T. non admitterent VValdenses, & sine dubio testimonia pro illis, tanquam è peregrino loco ascita rejicerent. Suspicionis occasionem dat nobis Rainerus, c.1. p.298. C. ubi inter ea, quæ commendant Ecclesiam catholicam, secundum ponit: *in cultu divino scil. Ecclesiarum ornatu, vestium, vasorum, cantu, lumine, festis, jejuniis & V.T. quia hæc omnia hæretici reprobant.* Tanquam diceret, hoc ultimum, reliqua complectens, nolle ampliùs in Ecclesiam induci: Itaque V.T. non libros, sed ceremoniarum notabit apparatum. Confirmat nos amplius Ermengaud. c.9. p.113. ubi, cum ad altaria probanda attulisset N.T, loca addit: *Contra istos suprà dictos errores, quasi maximam nubem testium V.T. scil. legis, Prophetarum & psalmorum possumus inducere, sed quoniam ipsi hæretici respondere (nec rationem reddere ad objecta sibi testimonia V.T. legis, & Prophetarum) nolunt &c.* Scil. mox à limine

remo-

removebant Waldenses, si è ceremonialibus V.T. adferentur aliqua. Quod solum de illis probari potest, in reliquis, qui plura adfingunt, mendacii manifesti sunt. Nam ipsum quoque Evangelium & N.T. contemtui habitum fuisse volunt, cum ap. Grezer. c.3. præloq. ad 5. script. Waldens. p.14. Cæsarius referat : *Super volumen S. Evangelij mingentes, denuò illud contra Christianos projecere, & sagittis post illud mißis clamarunt : Ecce! lex vestra, miseri.* Sed hostis hoc dicit : Fidem non meretur. Aliquam occasionem ostendit Marnix. Aldeg. P.3.c.12.p. 152. *Cum rejicerent Missam, & libros de eâ scriptos, dicebant, rejicere eos libros Evangeliorum & Epistolarum: quia in Missalibus aliquæ pericopæ Evangeliorum & epistolarum Pauli reperiuntur, quæ tum vocabantur Sancta Evangelia.* Sanè in magno eos Evangelium habuisse pretio, post supra citata etiam hoc monstrabit, quod sine N.T. exemplari Raymundus Comes ire nunquam sit solitus ; propterea reprehensus ab Ecclesiasticis, quod ipse Petrus de Vall. Sarn. dicit ap. Marnix. d.l.p. 153. Adde ibid. decretum Tholosanum, à Romano Cardin. & Legato Apostol. propter Waldenses 1229. m. Novembr. publicatum : *Prohibemus etiam ne libros V. aut N.T. laici permittantur habere, nisi fortè psalterium vel breviarium pro div. officiis, aut horas B. virginis aliquis ex devotione habere velit ; sed & ut præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctißime inhibemus.* Cur quæso hæc ob Waldenses decreta, si ipsi V.T. exclusere. Scripturæ sensum quod concernit, alia & alia de iis invenimus: Luc. Tudens. l.3.c.2.p.277. (si contra Albigenses illa, ut vult editor Mariana) hæretici dicunt : *Verum est, quod continetur in V. & N.T. si intelligatur juxtà mysticum intellectum: ad literam autem nulla sunt omnia, quæ continentur in eis.* E contrario Ebrard. Antihæres. cap. 24. pag.173. *Erubescant ergò hæretici in litera, tanquam in volutabro cœni delectantes.* Inter se ipsi transigant, antequam illis talia affingere audeant.

Manichæismo. §. 12. Post hanc alia atrocissima calumnia : EOS DVO STATVISSE RERVM PRINCIPIA ; & ita Deum bonum & malum: accusat hujus Bzov. T.13. ad ann. 1199. n.33.34. Joann. Marian. præfat. in Luc. Tud. p.321. A. addens ea causa non semel à Lucâ illis Manichæorum nomen affingi. Imò verò affinguntur Mariana! nec intra plures paginas fortè verius dixisti verbum. Reiner. c.1.p. 298. idem hæreticis adscribit : quos verò innuat, non docet. Si VValdenses intelligit, turpissimè sibi contradicit, cum cap. 4.p.299. dicat ; *eos bene omnia*

mnia de Deo credere. Eberh. Antihæref. c. 5. p. 80. hæreticos (quando Grezer. Waldenses ab ipso judicari, titulo tractatus mutato, defendit) ejusdem arcessit criminis, Bern. Abb. tacet: sed Ermeng. c. 1. & 2. eandem canit cantilenam & quis non?

§. 13. Sed heus boni viri! quis innocens, si accusasse sufficit? Edite vel unum testem ex ipsismet, si verum dicitis: ostendite confessionem: aut si hoc modo vincere posse speratis, consequentiam nectite, quæ non ruat. Waldenses defendunt suæ confessiones, & ipsa adversariorum testimonia, quæ supra S. 11 § 6. produxi. Quæ manet verò calumniatores pœna? ut eadem pœnâ afficiantur, quam minabantur illi, quem opprimere in consilio habuerant, sed fortè licebit post Pontificem illis securè asseverare. Nam Bonifacius VIII. cap. unam sanctam extr. de Majorit. & obed. eos, qui ordinationi divinæ, quâ Pontifici omnia subjiciuntur, resistant, Manichæis associat. Inde traditionis origo. vid. B. Gerh. Conf. Cath. ep. dedic. a. 4. Marnix. Aldeg. l. c. p. 152. eodem modo sentit: *Notum, eò tempore Papas publicasse, tanquam fidei articulum, quod quicunq; statuat, aut defendere velit, Imperatorem immediatè à Deo potentiam accepisse, nec subjectum Pontifici, pro Manichææ sectæ complice habendus sit; tanquam qui duo statuat principia, seu duas summas potestates immediatè à Deo dependentes.* Itaque ex eo, quod Potestatem Pontificis negarunt, duo principia tueri dicebantur, & ex eo duos Deos, inde Diabolum creatorem. Sed de primâ consequentiâ ipsi viderint, à Waldensibus meritò propterea falsi testimonii arguendi. Aliam quoque occasionem suspicandi præbet Bzov. ad ann. 1270. n. 10. undè calumnia nata. *Dicebant videl. Waldenses præter Deum & ejus Ecclesiam, esse etiam Diabolum alterius regni & Ecclesiæ caput:* hoc quin arripuisse etiam hostes ad calumniam suam [illegible] borandam dicamus, nil vetat. Denuò magnâ cum injuriâ VV[illegible] [illegible]sium, nisi Augustini duas Civitates etiam in hæresin rapi[illegible]. Eos, quod attinet mundi creationem à Diabolo factam, [illegible]on ausos ipsorum confessionibus monstrare, sanè eo tempore, illud argumento est, quod Ermeng. contra hæret. c. 1. p. 89. *eos id dicere in absconditis suis perhibeat.* Hoc facilè credebat vulgus illorum fidei ignarum, nec tam facilè mendacii convinci posse sperabant. Affini Manichæo huic effato aliud ap. Bzov. ad ann. 1599. n. 34. *Omnes creaturas* (addendum videtur, *bonas*) *fuisse quidem à principio, sed posteà depravatas & corruptas esse: eaq; de re mentionem fieri in Apocalypsi.* De essentiali corruptione nihil unquam pro-

L bare

bare poterunt. Suprà autem naturam hominis in spiritualibus omninò corruptam asseruere; & propter hunc etiam creaturas reliquas ματαιότητι subiectas: (Rom.8.) cur malè propterea audiunt? in Apocalypsi nulla corruptionis mentio, nisi ea, de quâ modò dictum, tum qua culpæ malum in totam hum. naturam exundans, tum pœnæ, & homines & propter hos creata reliqua afficiens. Sed DEVM etiam maritum fecisse dicuntur ap. Bzov. d. l. n. 34. artic. 7. *habuisse duas uxores Oollam & Oollibam, & ex ipsis procreasse filios & filias*: Accusent simul Ezechielem, qui c. 23. v. 2. 3. seqq ita loquitur. Waldenses alio sensu usurpasse, monstrare non poterunt: sed facilè apparebit, quid adversarios pupugerit: Ecclesiam, quæ tum erat, Romanam, hâc allegoriâ eos pressisse dicemus, hos invidiosâ detorsione apud vulgum argumentum elusisse.

De animæ immortalitate & resurr. mortuorum.

§. 14. Alia item atrox calumnia, & quod ANIMÆ IMMORTALITATEM, & RESVRRECTIONEM negarint, ap. Bzov. ad ann. 1199. n. 33. & ad ann. 1270. n. 10. *Negabant resurrectionem corporum futuram: loco eius fingentes quædam spiritualia corpora, & quendam interiorem hominem, in quibus & quolibet dicebant futuram resurrectionem esse intelligendam.* Idem de resurrectione ex Bernhard. de Lucenb. Alfonsus de Castro l. 13. p. 389. allegat; & ante hos Ermeng. c. 16. p. 142. Eberh. & Bernh. tacent: Reassumit Jo. Mariana præfat. ad Luc. Tud. p. 231. A. Haud dubiè nefandum scelus! & quod in Epicuræorum greges eos, quos tueri suscepimus redigat, si probare possint. Verùmenimverò an contra miseros hostium testimonia admittemus, uti supra vidimus, dum hi rei fiant, quidvis dicere paratorum? Meliora meruere, & vel sola inficiatione hoc diluere sufficit. Præsertim cum ipsi sua cædant vineta. Immortalitatem negare, dicit Bzovius. Atqui si eidem credimus T. 13. ad ann. 1199. n. 33. & 34. Conferatur Alf. à Castro l. 2. p. 61. metempsychosin statuerunt, quî ergò animæ cum corporibus extinctæ? Et ne altero loco verius perhibuisse testimonium videatur, cum ad ann. 1270. n. 10. illam scripsisset dicam, n. 11. subiungit: *animas decedentium, statim ut decedunt, evolant vel ad cœlum, vel descendunt ad infernum &c.* Saltem in infernum, aut cœlum ducendæ non erant animæ, si non supersunt. Adeò mendacem memorem esse oportet, ni deprehendi velit. Aliqua rursus accusationis occasio, quod curam pro mortuis haberi nollent: & illis, precibus subsidia sive non necessaria, frustranea assererent, purgatorii igne in Utopiam relegato. Inde calumniatores inferebant: si nulla cura, E. neq;

super-

supersunt; si amplius prodesse nil potést, in non entibus reponere erit necesse. Quid verò argumento huic tribui debeat, monere non est necesse. Bern. abb. Font. Calid. contra Wald. c. 10. 11. ipsos liberat, nec alios eorum ordines facit, quam quod quidam dicant, *quod Spiritus à carne soluti continuò ad cœlum vel infernum*, alii, *quod ante judicium nec cœlum nec locum tormentorum ingrediantur, sed aliis receptaculis contineantur. (paradiso & inferno)* quæ sententia ut erronea, ita multum tamen distat à negatione immortalitatis & resurrectionis. Rob. Cogeshal. Monach. Msc. ap. Boxhorn. H. univ. p. 719. *Non credunt ignem purgatorium restare post mortem: sed statim animam corpore solutam ad requiem transire, vel ad damnationem.* Ita & ille qui anonym. editus à Grez. p. 339. cum multa alia è negato purgatorio ducat absurda; hoc non audet ascribere.

§. 15. MATRIMONIUM quoq; dicuntur improbasse. Bzov. » de matrimonio.
ad ann. 1199, attribuit illa: *Matrimonium esse scortationem, neq; coniuges, si carnaliter commiscerentur, posse salvari.* Idem Ebrard. Betun. antihær. c. 7. p. 93. tribuit. Ermengaud. contra hæret. c. 5. p. 95. *coniuges non posse salvari.* Robert. Monach. Cogeshal. Msc. ap. Boxhorn. H. univ. p. 719. *nuptias damnant, virginitatem prædicant, in operimentum suæ turpitudinis.* At liberat eos hac calumnia Reinerus c. 5. p. 300. G. qui non plura invenit, in quibus Sacramentum coniugii damnent, quam quod dicant: *mortaliter peccare coniuges, si absq; spe prolis conveniant.* Dein subiungit de impedimentis circa matrimonium ab Ecclesia positis, quod spernant. Item: *quod fœmina post partum non egeat benedictione & introductione.* Item: *quod coniugium Sacerdotibus permittendum &c.* Idem c. 8. p. 307. h. m. loquentes introducit: *unusquisq; nostrum uxorem suam habet, & cum ea castè vivit.* Quod Bzov. ad ann. 1199. n. 34. dicit. *Nullum posse salutem consequi in Christo Iesu in generando filios & filias.* Crediderim ex disputatione super locum 1. Tim. 2. 11. 12. ortum: quem pro operum merito non passi sint adduci Waldenses.

§. 16. Vicissim ne unquam veritatis hostes ipsi inter se adversi esse desinerent, omnem impudicitiam illis affingunt, promiscuum CONCUBITUM & OMNEM CARNALEM COMIXTIONEM, tàm inter viros quàm fœminas probari ap. Waldenses. Refert. Alf. à Castr. l. 4. p. 127. b. & Bzov. Annal. T. 13. ad ann. 1199. n. 34. & ad ann. 1270. n. 11. Ita & de Turlupinis. *Omnia verenda publicitus nudata gestasse, & in publico velut jumenta coivisse.* Alv. de Castro l. 14. p. 422. b. & Bzov. T. 14. ad ann. 1372. n. 7. qui idem T. 15. ad ann. 1199. n. 34. ascribit errorem: *ne-* » de promiscuo concubitu.

minem posse committere peccata ab umbilico inferius. Quod Rainer. c. 6. p.301 F.Runcariis ascribit. Nic.Eymericus in 2.P. directorii Inquisit.q.14.ap.Usser.de Christ.Eccl.Successf.c.4.p.194.hoc modo proponit: *quod melius est satisfieri libidini quocunq; actu turpi, quam carnis stimulis fatigari &c.* Eadem ascribere adhuc recentius audent ap.Usser. d.l.Sanderus, Coccius, Parsonus, & recentius Thom.Henrici Anatom. A.C. artic.8. p.270. tanquam post tot vindicias adhuc sine rubore illa proferre liceret. Quâ hæc omnia ratione cum eo conciliare velint, quo etiam carnalem coniugum copulam improbasse dicunt, ipsi viderint. Ipsam rem quod attinet: quid mirum his seculis ita audivisse Waldenses, cum solenne id Christianorum crimen fuerit apud Gentiles. Ex Guid. Carmel. allegat hoc Castrens. Verum si octavi præcepti memor fuisset, de non dando falso testimonio contra proximum, non allegasset in tam gravi accusatione autorem, quem ipse l.6.p.166.a.b.in negotio Waldensium deserit: quin etiam l.6. p.179. miratus ibi, unde *bonus homo sumserit.* Istene sufficeret testis? Aliud testimoninm Waldensibus perhibet Thuanus l.27. p.m.1222. *Præcipua castitatis cura & honos inter Waldenses, adeò ut vicini, qui alioqui ab eorum regione alieni erant, ut filiarum suarum pudicitiæ consulerent, vim à licentioso milite veriti, eas VValdensium curæ ac fidei committerent.* Conf. ap.eund. factum virginis, vitæ pudicitiam anteponentis. Si Thuano nulla fides: sit tamen Reinero c.7. p.360. *Casti sunt* (hæretici) *maximè Leonistæ.* Ita ut hanc virtutem cum aliis inter notas hæreticorum referat. conf. Sect.11. artic.2. §.3. *Tactum omnem mulierum refugisse*, dicit alibi Bzov.ad ann.12.n.1270.n.10.confer Vindicias Riveti Exerc.in Genes.27. p.137.& 138. Ubi illud quoq; vindicat, cum de nuditate accusantur: neque verò aliud probare possunt, quàm quod dedita Carcassona inter alias leges ab Episcopis etiam ad hanc coacti sunt, ut omnes nudi tam viri, quàm fœminæ pudendis partibus detectis, coram toto exercito egrederentur. ut ex P.Vall. Monacho probat.

§. 17. Sed odorari mihi videor ex quo Waldensium effato illa calumnia desumta. Ex 1.Cor.7.v.2.docuere (ut ipse perhibet *Petrus Cluniac. in epistolis*, non aliud illis ulterius imputans, Ald.P.3.de diff. relig.c.12.p.154.) cuivis, s. mari, s. fœminæ (nimirum in oppositione ad cœlibatum monachorum & monialium) non licere tantum sed & necessarium esse matrimonium, si urantur. Hoc pessimi illi, quibus calumniari virtus est, in tam perversum sensum rapuisse videntur,

tur.

tur. Et prodit ferè Alfonsus, quando addit: *Vrente carnis libidine.* quæ vox cum Waldensibus respiciat sine dubio citatum Paulinum effatum, non immunditiem extra thorum, sed matrimonium innuit. Rainerii allegatum testimonium quod attinet, ipse prodit, quo sensu illud dictum sit ab illis: dicet enim allegari ab iis Matth. 15. Ubi ex corde fornicationes procedere dicuntur: Scil. ex eo dicebant, in impuritate illa cordis, quam aliorum membrorum gravius esse delictum: neque hæc peccatura fuisse, nisi illud peccaret. Nullatenus verò quod illam probarent contaminationem.

§. 18. MAGISTRATIBUS dicebantur INFESTI esse, & horum negare authoritatem: quod tamen plerique produnt. Adhuc superiori seculo Merindoliani de eo sunt accusati. Thuan. l. 6. p. 388. & Sleid. l. 16. p. 463. optimè: *hâc criminatione pleriq; nunc utuntur? invidiosa magis, quàm vera.* Scil. non alia magis Principes ad Tyrannidem contra eos incitabat; atq; adeò ecclesiasticos æquè contra eos oportuna erat. Vindiciarum satis est supra. Undè sæpius etiam rerum novarum & seditionum accusati, non convicti. Hoc commento *Oppeda* senatus Aquensis Præses Franciscum contra eos armavit ap. Thun. l. 6 p. 295. de Mag. Politico.

§. 19. Ex hoc principio alterum dependet, quod attribuunt, quasi statuissent: *judicare ad supplicium esse malum*; Ita Bzov. ad an. 1270. n. 11. Alf. à Castro l. 8. p. 251. item Index err. edit. Grez. n. 23. p. 341. C. Reiner. c. 5. p. 301. Sed illa quoq; calumnia est. Quid dicit Reinerus ad hoc, quod ipse antea c. 3. p. 299. E. Hæresiarchæ eorum Heinrico tribuerat; cum duceretur ad mortem, dixisse: *Merito nos damnati: quia, si status noster non esset minoratus, potestatem, quam exercetis contra nos modo, hanc nos exercuissemus contra vos, omnes scil. Clericos, & religiosos & laicos.* Guidonem, uti vidimus, Castrensis ipse aliquoties deseruit, in hoc sanè Æneæ Sylvii & meliorum quorumvis suffragio destitutum. An dicemus, Episcopis (ap. quos ob hæresin sistebantur) solis negasse hanc potestatem? Sane ap. Alfonsum l. 11. p. 321. tantùm Prælatis Ecclesiæ obedientiam negare dicuntur. Quicquid tamen sit de hâc conjecturâ; in thesi eos hoc docuisse nunquã probabitur: id verò docuisse, non licere capite plectere eum, qui in fide hæreticus à Pontificiis declaratus sit, nullus inficior: Et prodit se Ebrardus d. l. quod ab hâc hypothesi illatio fiat; cum dicit: *Vos a. O rebelles fidei! cum sitis homicidæ* (spirituales, an externi: si illud, est quod volumus: si hoc, non omnem gladii usum aut cædem, sed cer-

tam prohibere) *homicidas occidere prohibetis; & pugnare contra fideles.* Id contra cruciatas expeditiones dictum quivis videt: Et quid dubitamus, disertè exstat interrogatio in modo examinis à Grezer. edit. p. 342. E. *Peccatne Papa, mittendo exercitus contra Saracenos, & dando crucem contra rebelles alios?* Notæ sunt Pontificum artes, quibus usi in cruciatis illis expeditionibus, & gravamina etiam illius seculi; sed & quid de ipsis expeditionibus sentiendum facile est invenire. Ex quô deinde parere potest, quid de eô dicendum, quod Bzov. ad ann. 1199. n. 34. attribuit: *milites lethaliter vulneratos á salutis januâ excludebant.* Eos sc. qui contra ipsos pugnavere, & ita in flagrante peccato mortui sunt; non alios: quis enim dicat, illos restitutos fuisse hostibus armatâ manû, si suos quoque defensionis causâ oppositos in eo salutis esse discrimine crederent.

§. 20. Idque clarius ex eo patere potest, si videamus alibi quoque simile peccatum commissum in citandis eorum dogmatibus. Bzov. d. l. paulò post priora verba ex Rogerio Hovedio: *Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, Canonicos, Monachos, Eremitas, Templarios & Hospitalarios, non posse regnum cœlorum consequi; inq; statu damnationis esse.* Ind. error. quem edidit, Grezer. p. 340. G. addit: *Imperatores, Reges, Principes, Duces, & omnes Iudices tàm spirituales, quàm seculares* (confer suprà Sect. I. Art. III. §. 32.) videlicet qui & quales tum erant, & doctrinæ & morum ratione: potissimum ob persecutionem ὀρθοδοξίας: nam saltem ex Ecclesiasticis Episcoporum & presbyterorum ordinem quà talem, non rejectum esse ab illis, vidimus superiùs. Geminum huic, quod Bzov. Annal. Tom. 13. ad ann. 1199. n. 34. ascribit: *Munus prædicandi, non ad ipsos sacerdotes Ecclesiæ, sed ad illos pertinere.* Sine dubio ipsis sermo de talibus, quales eo tempore fuere, vitâ pessimi, ineptissimi, indoctissimi, ut suprà S. I. Art. II. §. 7. probatum. Quomodo hoc quoque explicandum, quod modò ex Alfonso Castrensi allatum, Prælatis Ecclesiæ obedientiam non deberi: & illud ap. Bzov. d. l. *Sacerdotibus nullum honorem aut reverentiam deferendam, neq; decimas, neq; primitias persolvendas esse.* Suarum enim Ecclesiarum Ministros in magno habuere honore, & suis quoque mediis sustentarunt. (De promiscuâ prædicandi licentiâ suprà S. I. Art. III. §. 34. dictum.) Ita Alfonsus à Castro L. 10. p. 277. ex ejusdem Guidon. c. 15. allegat: *nulla vera miracula fieri in Ecclesiâ*: & mox miraculis Christi in medium allatis illud probat. Sanè miracula illa, quæ tum in Romanâ Ecclesiâ patrabantur, sprevisse non dubito; hoc quoque

quoque

quoque docuisse, quod non semper in Ecclesia miraculorum donum ordinarium durare debuerit. Pilichdorf. contra hæres. VVald. c.5. p.313. aliquem ex iis ita alloquitur: *non credis hodiè in Ecclesia fieri signa.* Rem optimè conficit Index error. ed. Grezer. n. 28. p.341. *Miracula quæ fiunt in Ecclesia Dei Sanctorum meritis, omninò abjiciunt.* At unde illimitata hæc sententia, etiam à primis Ecclesiæ incunabulis ea removens?

§. 21, Aliquot adhuc exempla producere licebit, ubi AB HYPOTHESI AD THESIN saltum illicitum adversarii fecere. Alfonsus à Castro L.4. p.102. b. ait dixisse: *Frustrà tempus teri in cantibus Ecclesiasticis. Et Wiclefum ita detraxisse cantibus, ut cantantes in Ecclesiâ vocaverit sacerdotes Baal, quibus cum clamore orantibus Helias Propheta dixit: Clamate voce majore &c.* 1.Reg.8. Quis verò credat eos in Ecclesiâ cantum ipsum unquam reprobasse: *Sanè ad Biblia intelligenda & psalmos canendos linguam Gallicam callent* Fraxinei ap. Thuan. L.27. p.m.1218. & in Confess. quam B.Lutherus edidit 1533. inter supellectilem sacram referunt *libros pro cantu.* Imò post Euchari-stiam ap.Grezer. Iconism. VVald. p.221. so singet man ein Lied. Quæ Grezerus in voce Lied suspicatur, cum indifferens vox sit, non nisi malignum ejus animum palam faciunt. Fuisse tamen multa, quæ in cantibus Ecclesiasticis tum temporis improbarentur, nullus ambigo. Nimirum Canonicorum boatum ex opere operato æstimatum, cum neglectu partium cultus divini magis in populum proficuarum, præterea excluso populo soli clero vindicatum cantum, quin & quo sæpè res non intellectæ peregrino idiomate canerentur; reprehensa, idque jure, concedo. Unde alii controversiæ statum cautius formant. Ipse Alf. L. 7. p. 238. ex Ænea Sylvio & alibi non nisi horarum canonicarum mentionem facit. Uti etiam Pilichdorf. c.28. p.317. Idem quidem c.27. p.326. universaliter loquitur: *reprobare cantus Ecclesiæ, organorum, seu hominum & aliorum instrumentalium musicorum.* Sed revera intellectum vult de iis, qui in Ecclesia & *processionibus* consueti fuere cantus: Waldensibusque attribuit. Deum laudari debere *sine clamore.* Ind. error. ed. à Grez. p. 340. F. ita enunciat: *Cantum Ecclesiasticum & horarum canonicarum dicunt esse latratus canum.* Ermengaud. L.10. p.113. de Ecclesiasticis tantum dicit *improbare Ecclesiæ cantum & laudes, quas clerici de V. & N.T. reddunt Deo.* Ebrard. Bethun. antihæres. c. 4. p. 76. *ad cantilenas in Ecclesiis dedicatas*, & quidem postea *noviter inventas* restringit. Argumentum

De Eccl. cantu.

Walden-

Waldenſibus attribuens ex Apoc.22. Quam frivole autem & ridicule contra illos h.l. ex Luc.10. de ſupererogatione diſputet, & novitatem canticorum Salomoneo illo, nihil eſſe ſub ſole novi, eludat, ipſe legi poteſt. Sed unus adhuc *Reineri* locus eſt, qui quid in canticis reprehenderit, oſtendit c. 5. p. 301. C. ita: *Eccleſiæ cantum ſubſanant, & dicunt quod in verbis tantum non in melodia ſit vis.* Non erimus nimium prolixi in exemplis detorſionis conquirendis. Huc tamen etiam pertinet, ex Bzov. T.13. ad ann.1199. n.34. *eleemoſynas Eccleſiis aut indigentibus vel petentibus non eſſe tribuendas: ſacras imagines, quæ ſunt in Eccleſiis, eſſe idola, campanas ad tintinnabula Eccleſiarum eſſe tubas diaboli.* E prioribus qui de his ſtatuendum claret.

§. 22. JURAMENTA ab illis tolli perhibent. Guid. Carm (ex quo Alf. de Caſtr. L.8. p 251. b) Eberh. Antihæreſ. c.14. p.125. Ermengaud. c.18. p.149. Reiner. c.5. p.301. Pilichdorf. contr. Wald. c.36. p.331. qui diſertè judicialium meminit. Sic & Roger. ap. Baron. T.12. ann. 1176. n.3. p.687. hoc ipſis in confeſſione eorum tribuit, quod repetit Bzov. Annal. T.13. ad ann 1199. n.34. imo hic ad ann.1270. n.11. mortale peccatum dicit, ut etiam Ind. error. ed. à Grez. n.9. p.340. G. Sed meliorum, Æneæ Sylvii &c. ſilentium oſtendit, ſi non omnino hæc dica falſa ſit, ſaltem non omnes, non ſemper, foviſſe eandem ſententiam. Novimus etiam è Patribus aliquos juramentis fuiſſe minus propitios, quod condonare ex charitate ſolemus. Aliâs in explicatione tertii præcept. in Calend. ſpirituali & ſcripturæ dictis & exemplis probant juramenta. Sanè ex Seiſellio Pontificio ſatis eos vindicat Rivetus exerc. ad Geneſ.108. p.529. Bzovium tamen contra ſeipſum producamus: vix dixerat, quæ modo allegata cum ſubiungit: *dejerare in judicio coram judicibus fidei de dicenda veritate & revelandis complicibus ſuæ ſectæ eſſe ſanctum.* (Reiner. editus ad Claud. Couſſord. ann.1548. ap. Uſſer. de Chriſt. Eccleſ. ſucc. & ſtat. c.6. p.196 dicit: *diſpenſare, ut juret quis pro evadenda morte corporis, ne alios prodat aut ſecretum revelet perfidiæ ſuæ.*) Argutus ſit, qui iſta Bzoviana componat. Eadem etiam contradictio ap. Fr. Nicolaum Eymericum deprehenditur, atteſt. Uſſer. d. l. p 197. Sæpius ita inter ſe vel ipſi vel fratres pugnant. Alf. à Caſtr. L.9. p.255. *non debere laborare virum perfectum,* cum tamen ipſe ex Æn. Sylv. adferat. l.10. p.300. *eos mendicantium religiones malorum dæmonum inventionem dixiſſe.* Sanè non alia ratione quam ob otium. Ipſi enim eorum paſtores, quantum permittebant officii munia, laboribus ſuis diſtricti erant, ut vidimus ſuprà.

§ 23. Ba-

§. 23. Baptismum ab illis omninò respui, denuò Alf. à Castro l. 2. p. 71. effatum est; prorsus inutilem esse, Bzovii ad ann. 1199. n. 33. vel ut Jo. Marian. præf. ad Luc. Tud. p. 231. A. *aquam baptismi ad expianda peccata vim non habere*. Utrumque falsissimum, si illorum respiciamus & Confessionem supra positam, & praxin. Cui frustra hostium criminationes opponuntur. Ap. eund. Bzov. *Aquam S. Baptismi in nullo differre ab aqua fluminis*. Sane si in se, & si post actum sacrum consideratur, quid errarunt? Quod pædobaptismum (quem disertis verbis in Calend. spirituali approbant) attinet, haud diffitebimur, fuisse eodem tempore hinc inde aliqua Anabaptistici furoris semina. Quod ex literis Innocentii, ab Arelatensi Episcopo interrogati, apud Bzov. dict. loc. num. 37. patet, simulque Ebrard. Antihæres. cap. 6. pag. 87. apud quem idem, quo Anabaptistæ utuntur argumentum ex Matth. 28. reperire est. Quid verò hoc ad VValdenses? aut soli illi universa seculi sui portabunt crimina? Reinerus tamen c. 5. p. 300. E. illis quoque ascribit: *quod ablutio, quæ datur infantibus, nihil prosit*. Nonnullam ejus accusationis occasionem rimatur Aldegond. Marnix. P. 3. tabl. de diff. relig. c. 12. p. 152. his verbis: Cum sæpè cogerentur differre Baptismum, quod ministri ob rigorem persecutionum hinc inde essent dispersi, sic ut plures non prius baptismum obtinere possent, quàm provectiores ætate essent: Inde impositum illis, quod pædobaptismum damnarent. Et quid Grezero fiet, qui præloq. ad Triad. Script. Wald. B. Lutherum in eo VValdensibus adversum facit, quod illi pædobaptismum exercerent? *de Baptismo.*

§. 24. In S. Coena Dominica variorum accusabantur. Calumnia est ap. Bzov. T. 13. ad ann. 1199. n. 33. cum dicit: *Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemabant, ipsius corpus non aliter in pane, quam in aliis rebus esse censentes*. Aliud supra vidimus è genuinis documentis. Sed quisquis Pontificio transsubstantiationem negat, eo ipso omnem veram præsentiam ejus opinione tollit. Hanc verò præcipue ab illis negatam, ea ap. Bzov. ibid volunt: *Hostiam, Sacrosanctum corpus Iesu Christi*, (etiam cum jam consecrata est, tamen ipsius substantia consideretur) *in nullo differre à pane laico & communi*. Illa quæ amplius subnectit: *Si corpus Iesu Christi contineret in se magnitudinem montium Alpinorum, jam illud esset consumtum & annihilatum ab illis, qui illud manducarunt*: contra Caper- *de S. coena.*

M naiticam

naiticam manducationem firma ſtant, & male in ſiniſtrum ſenſum rapiuntur. Neque hic ſtetit mentiendi licentia. Guido c.9. de hæreſ. VValdenſibus imputat, *quod conſecrent ſine conſueta Eccleſiæ forma, qua Chriſtus conſecrans, nobis conſecrandi modum tradiderit; ſed dicendo ſepties Pater noſter, & benedicendo panem & vinum, ſe conſecrare dicant.* Ipſe tamen qui ea citat, Alf. à Caſtr. L.6.p.166. ex ſilentio Æn. Sylvii (viri ipſius judicio longè diligentioris circa inquiſitionem hiſtoriæ, quam Guido fuit), Ant. Florent. Epiſc. & Bern. Lucenburg. colligit, non hoc eos docuiſſe: quin & patere ex horum verbis potius contrarium, quod veram formam retinuerint. Nec dum ineptire deſinit Guido, cum hoc quoque aſcribit: *Sacramentum Euchariſtiæ in die cœnæ Domini eſſe majoris virtutis, quam alio quolibet die conſecratum.* Verùm ex ſilentio longe diligentiorum, denuo eum Alf. Caſtr. L.16.pag.179. deſerit, addens: *quapropter ut in aliis, ita etiam hic valde miror iſtius boni hominis, nec ſcire unquam potui, ad cujus exemplar hos errores depinxerit.* conf. vindicias utriusque mendacii etiam ap. Uſſer. de Chriſt. Eccl. Succeſſ. c.6 p.208. ſeq. Nec tamen poſt tot vindicias rectius ſentiunt adverſarii: ſiquidem adhuc Du Pleix. Gall. Hiſtor. & Gualter. Chronogr. De ſtat. Chriſtianiſm. c.15. atque pari impudentiâ Thom. Henrici in Anat. Conf. artic. 8. p. 270. utrumque errorem, quem Alf. tribuere non audet, exprobare non erubuerunt.

de Mariâ Virg. §. 25. MARIAM VIRGINEM calumniatos eos, alia calumnia eſt. Voce impuriſſima meretricem dixiſſe, Bzov. ann. 1199. n.33. & n.34. ex Guil. Nangiaco queritur, quod etiam Jo. Marian. præfat. ad Luc. Tud. p.321. A. improperare adhuc audet. In Bohemia quoque regiis literis objectum: *quod rebellia verba dicerent contra Virginem Mariam.* Ut ipſi in excuſ. Fr. VVald. in Faſc. rer. expet. p.86. F. conqueruntur. Verùm egregiè hanc dicam refellit Rivetus l.2. cap.12. p.324. ipſorum confeſſionum verbis Gallicis in medium allatis. Pilichdorf. contra hæreſ. Wald. c 20. p.38. ipſis aſcribit, quod eam *ſanctam* credant. Reſponſio in Conf. ad R. Uladisl. p.86. A. ad dictam criminationem eximia eſt: *De pudiciſſima Virgine Maria credimus, & ad usq; vitæ extremum ſtabiliter credituri ſumus, quod plena gratia ex inſpiratione Spiritus Sancti electa eſt ad id, ut ſit verbi incarnati immaculata genitrix &c.* ubi multa egregia. p. *Electiſſima Virgo, uti ante Filij Dei incarnationem, ita eo tempore & poſt, usq; ad mortem nunquam virum cognovit, ſed* perpe-

perpetua virginitate integra, casta, tàm animo quàm corpore permansit. Quid illustrius dici poterat? quod deinde prolixius contra calumn. Augustini defendunt, in resp. ad binas ejusd. literas pag. 88. E. 89. hanc quoque calumniam revincentes, tanquam æqualem tantum reliquis facerent mulieribus: ubi pluribus, quid ei præ aliis ascribant, enumeravere. Forte id quoque dici poterit, ex allegoria aliqua occasionem hostes arripuisse. Idem Bzov. ad ann. 1270. n. 11. illa imputat: *suam sectam esse Mariam Virginem, quæ generat filios DEI, quando recipiuntur ad eandem sectam & ordinem.* Si exclusivè accipiendo pervertas, Mariam non Virginem, non puram aut castam fuisse, asseri apparebit: & hoc è re adversariorum erat, quicquid etiam illi in contrarium explicandis verbis dicerent.

§. 26. Ad detorsiones item sententiarum optimarum illud pertinet, quod cum rectè ex 1. Reg. 8, 27. negarent, DEUM habitare in manufactis templis; Ebrard. Bethun. Antihæres. c. 4. p. 69. operose probet, juxta præsentiam generalem DEUM ubique esse, & ita in Ecclesiis (templis) etiam: quasi VValdenses omnipræsentiam hanc sublatam voluissent, quod tota ejus dissertatio illis imputare laborat. Variæ calumn. blasph.

§. 27. Alia mendacia ad blasphemiam propè accedentia, vel ex illis ascribam, in homines, quales ex modò dictis jam cogniti sunt, vel suspicione tantum cadere non potuisse liquebit. Apud Jo. Marian. præfat. in Luc. Tudens. p. 231. A. & Bzov. ad ann. 1199. n. 33. audire coguntur pro suo dogmate: *Christum DEUM turpi consuetudine cum Magdalenâ iunctum fuisse.* & ad ann. 1270. n. 10. & 11. *Veram ejus humanam naturam negasse.* Idem ad ann. 1199. n. 34. *Animas nostras esse spiritus illos, qui apostasia superbi è cœlo præcipites ceciderunt &c.* Plaustra mendaciorum simul emittit Radulphus Cogeshalensis Monachus apud Boxhorn. Histor. univ. p. 719. 720. *Aiunt & alij (qui de eorum secretis investigaverunt) quod isti non credant, DEUM res humanas curare &c. Sed Apostatam Angelum, quem & Lusabel nominant, universæ creaturæ corporali præsidere, &c. Corpus à Diabolo formari; animam verò à DEO creari, & corporibus infundi &c. Dicunt etiam nonnulli, quod in subterraneis suis quædam nefanda sacrificia Lucifero suo &c.* Benè agunt, quod secretis eorum adscripsere, ne transpareret falsitas. Apud Bernh. Abb. font. Calid. lib. 12. pag. 70. *DEUM non creasse aut regere mundum.* apud Ermengaud. c. 5. pag. 91. *Legem Mosaicam non à DEO latam, sed Principe maligno-*

num spirituū cap. 4. pag. 94. Moysen fuisse magum, nec ipsi locutum Deum cap. 6. pag. 92. Annunciationem nativitatis Ioann. factam à Dæmone, non bono Angelo. cap. 7. pag. 101. Christum non ex fœmina natum; nec habuisse veram carnem; nec verè mortuum; nec quicquam passum; sed simulasse passionem; nec manducasse nec bibisse, & quasi phantasticum corpus habuisse; nec resurrexisse. Quam hæresin Condomanam vocat Ebrard. Antihæres. cap. 13. pag. 123. *Ioannem Baptistam non esse salvatum.* &c. Sed pudet immorari hisce, quorum refutatio ex iis, quæ §. 6. & seq. allata, neminem fugere potest. Et, demus fuisse aliquos non optima docentes eo seculo; non tamen mox illi VValdensibus erant accensendi?

» de Vita & moribus. §. 28. Et illa in doctrinam ferè distringebantur. Fuere tamen ultra ea, quorum sparsim mentio facta, quam plurima, quæ in VITAM eorum jactabantur probra, vide Bzov. T. 13. ann. 1199. num. 33. ad ann. 1209. num. 11. Grezer. in præloq. ad. Triad. script. contra VVald. integrum de illorum facinoribus caput. 3. conscribit. An hosti de hostibus referenti credemus? Pro idololatris habebantur, quod ministros suos adorasse viderentur. A quo tamen eos crimine vindicat expositio primi præcepti. Unde nec Capitaneis illis tormentis id extorquere potuit: uti ex Perrino refert Hotting. Hist. Eccles. S. 5. pag. 295. Modus adorationis, quem ex Gregor. Tholosan. exscribit Grezer. præloq. ad Triad. script. cap. 2. pag. 7. nihil incommodi habet, neque tale quid inde exsculpetur. Claris verbis Reiner c. 5. pag. 300. quod nemo debeat flectere genua Sacerdoti. Et ne de Pontificiis tantum loqui eos existimes, allegant dictum Apoc. 22. 9. Pharisæismi quoque rei agebantur. Locum Rochæ S 1. art. 1. §. 16. retuli. Succinit accusatio Argentinens. art. 17. Sie geben vor/ sie seyen ohne Sünde/ da sie doch Menschen seind / wollen sich gern Gott gleich machen. Sed ipsorum apologia omne hoc diluit, cum ipsi, impetrata venia, publice protestati sint: Daß wir keine Sünde begangen/ ist nicht recht verstanden / oder uns nicht recht ußgelegt worden; Denn wir ja wol wissen/ daß kein Mensch ohn Sünd ist/ allein weil man uns für die grösten Sünder ußrufft / hab ich gesagt/ und sag es noch/ daß wir keine solche Sünder sind/ dieweil wir allein auff den wahren lebendigen Gott hoffen/ und seinen Worten trawen/ und seine Gebott/ so viel uns müglich/ begehren zuhalten. Huc illud quoque pertinet, quod Bzov. exprobrat annal. T. 13. ad ann. 1199. *Licitum credi-*

credidisse negare fidem, quam quis corde tenet, neq; ullum ad professionem fidei teneri, quamvis legitime interrogetur. Ita & Pilichdorf. fragm. contra VVald. pag. 334. *quod fides celanda ad martyrium evitandum: & quod pro salute vitæ nomen DEI, licet non mente sed voce, sit negandum.* Æquivocationum ad hunc finem usurpatarum Runcarios arguit Reinerus cap. 6. pag. 301. Unde ergo tot eorum martyria, si negare religionem impunè arbitrati essent? Id facilè concesserim, sæpè diu alicubi vixisse occultè, nulla publica confessione edita, sed etiam de ea non interrogati: unde hanc calumniæ occasionem sumsere monachi. Qui Pilichdorfium legit, facile in eam deveniet sententiam: nam etiam thesin hanc opponit Ecclesiæ eorum durationi occultiori, quam per plura secula deducebant. De æquivocationibus, ut sua arte, Jesuitæ, quod in illis reprehendant, non habebunt: Sed nec dum crimen de illis probatum.

§. 29. Ad extremum ejus quoque criminis postulantur, quod aliàs apud adversarios in laude reponitur VOLUNTARIÆ PAUPERTATIS, confer. S. 1. art. 1. §. 7. Accedit illis, qui ibi recensentur Pilichdorf. fragm. contra paup. de Lugd. cùm ita eos persequitur: *inaniter de sua paupertate gloriantes, dicunt, tanquam pro fundamento sui erroris, quod ipsi soli vitam Apostolorum servent, nihil habentes in proprio vel communi.* Incertus. ed. à Grezero pag. 339. de hæresiarchis, non eorum credentibus, id asserit. At pro omnibus verba faciunt illi, quos S. 1. Art. 11. §. 12. citavimus, cumprimis Ebrardus cap. 22. antihæresi p. 163. cum Apostolorum exemplum ipsis objicit: *In vobis non omnia communia, quidam enim plus, quidam minus habent, cum nihil habere debeatis, teste Petro* Act. 3. 6. *Vos autem propria habetis & dicitis: hoc est meum: contrà* Act. 2. v. 45. &c. Quæ illustriores vindiciæ esse possent, non video. Miror autem in aliis culpari, quod in suis adeò magnificè extollunt.

de voluntaria paupertate.

§. 30. Quinimo quod corollarii loco reliquis addam, nec temperare sibi poterant inimici, quin monstra illos facerent. Plebi persuasere eorum liberos *nigra ora, duplicem palatum ac pilosos habere dentes.* Chron. VVald. c. 3. p. 80. De 4. ordinibus dentium etiam meminit Aldeg. tabl. de diff. relig. P. 3. c. 12.

SECTIO IV.
Judicium.

1.

POstquam in reliquis prolixiores fuimus, potissimum v. in Sect. 1. artic. 3. & 4. hic brevissimis licet esse. Unam, Veram, Sanctam & Catholicam jam supra asseruimus d. artic. 3. neque hactenus alia de iis patuere. De nævis, si qui adhæsere, diximus Sect. 11. artic. 1. §. 2.

Symphonia cum nostrâ Ecclesiâ.

§. 2. Jure itaque hanc Ecclesiam fidei consanguinitate NOSTRATI esse junctam dicere licet, & meritò à nostris etiam objici adversariis Pontificiis, cum nostræ Confessionis homines ante Lutherum, qui exstiterint, requirunt. Edmundus Campianus sanè rat. 3. maiores nostros vocat, & *Poplinerius* (cui Genebrardus hoc elogium tribuit, quod *purè ac simpliciter ad Historiæ veritatem, non ad causæ gratiam cuncta narraverit*) in Histor. Gall. l. 1. fol. 3. *doctrinam à nostrâ parum differre fatetur.*

Testimonium Lutheri.

§. 3. Et esto sanè, B. Lutherum in disp. contra Eccium ann. 1519. principio iis non adeò fuisse propitium, uti contra nos urget Grezer. Proleg. ad scripta contra VValdenses c. 7. p. 204. Ipse tamen id posteà fassus est, cum melius de iis sentiret, loco quem Grezerus etiam producit p. 295. A. Quæ è mensalibus conviviis exscribit, responsione indigna sunt: Et ipse Grezerus pridem novit, quid libro tribuere debeat. conf. Boxhorn. Hist. univ. p. 712.

§. 4. Quid senserit de iis VVitteberga, rectius colligitur ex epistola Melancht. ad eos scripta 1535. & ipsius B. Lutheri 1542. quin totius Facultatis Theolog. judicio, quod 8. Febr 1573. dedit. *Legimus formam à vobis repetitæ confessionis, & judicamus eam in fundamento cum scriptis propheticis & Apostolicis, eoq; doctrinæ genere, quod in Ecclesiis harum regionum sonat congruere &c.* Operæ verò pretium erit, si integrè legatur: idque, ut & modò dictas epistolas, Balth. Lydius. 2. Tom. VValdens. inseruit.

§. 5. Nec isto contra nos obtinebit Grezerus, quia Calviniani non minus eos fratres venditent. Nam Sect. 1. artic. 4. Phæn. X. satis ab hâc suspicione purgati sunt.

§. 6. Habent itaque adversarii, qui tanto cum strepitu exigunt à nobis, ut ὁμοψήφους alios ante Lutherum adferamus, non singulos,

gulos,

ſingulos, non paucos, ſed multorum millium Eccleſiam. CHRISTO REGI, VICTORI, TRIUMPHATORI, qui Eccleſiam ſuam conſervare novit, ſint gratiæ æternæ, ſit gloria & honos: idemque quod promiſit, non deſinat, etiam in diebus noſtris regnum gratiæ ſuæ tueri, donec illuſtri apparitione ad gloriam omnes promoveat, Amen.

F I N I S.

Ad Lectorem.

N*E in citationibus hærere cogaris, Lector Benev. Te noſſe oportet,* Ebrardum Bethunienſem, Bernardum Abbatem fontis calidi, & Ermengaudum, *quos ſæpius citamus, allatos ex editione Iac. Grezeri Ingolſtad.* 1614. *Hujus quoq;* Præloquia ad Triadem hanc Script. adverſus Waldenſes *aliquoties citata. In reliquis, quæ Grezerus edidit,* Luca Tudenſi, Reinero, Pilichdorfio, Refutatione errorum Waldenſium *auctoris anonymi,* Indice errorum Waldens. *& demum* Grezeri prolegom: *quæ præfixit iis, ſecutus ſum editionem, quæ exſtat in magnâ Bibliotheca Vet. Patrum Tom. XIII. Coloniæ* 1618. Confeſſio & Apologia Waldens. ad Regem Ung. Uladislaum ac reſponſ. excuſatoria ad literas Doct. Auguſtin. *deſumta ex Orthuini Gratii Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum.*

Benè vale & Fave.

PARALIP.

Ad Sect.3.§.9 .In universum quotquot fere prodidere talia, cu-
cullati erant : Jam autem *ore cuiuslibet bonum fuerit argumentum , te-
nens tam de forma, quam de materia, hic est frater,* E. *mendax. Sicut & il-
lud: hoc est album.* E. *coloratum*; ut *Th. Walsingam.* ipse Benedictinus
in histor. Rich. 2. ap. Jacob. Usser. de Eccles. Christ. succ. & statu c. 6.
p. 187.

